AZ.
ale III
L.
NA

Digitized by Google

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
II
SUPPL.
PALATINA
B
33
NAPOLI

5. 3. 2.

Digitized by Google

II Suppl. Palat. B 33

Digitized by Google

Digitized by Google

SBN
C 21-960

DE VETERIBUS FINIBUS

ROMANI PATRIARCHATUS

DISQUISITIO

ANTONII OCTAVIANI

REGIAE HERCULANENSIS ACADEMIAE
SOCII.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

NEAPOLI,
EX REGIA TYPOGRAPHIA

CIƆIƆCCCXXVIII.

Digitized by Google

Non tam Auctores in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt.

Cic. *de Nat.* I. *cap.* 5.

Multum magnorum virorum judicio credo: sed non me cuiquam mancipavi.

Sen. *epist.* 45.

Digitized by Google

PRAEFATUR AUCTOR.

Romanum Antistitem praeter supremum principatum, quem in universam Ecclesiam divinitus obtinet, ac praeter metropoliticam potestatem, qua suam Ecclesiasticam regit provinciam, etiam plurium provinciarum tractui, unam patriarchicam dioecesim constituentium, praeesse Catholicorum nemo ignorat. Sed licet Pontificis Patriarchatum posteriori Ecclesiae aevo cunctas Occidentis regiones comprehendisse inter omnes conveniat; si tamen de priori aetate loquamur, haud omnes pariter illum tam late patuisse volunt, cum plurimi id affirment, nonnulli alii vehementer negent. In hac autem Eruditorum dissensione, illud omnino compertum, atque exploratum est primum saeculo XVII. paucos e Gallia

scriptores angustioribus limitibus, sive intra provincias suburbicarias patriarchica Romanae sedis jura coërcere coepisse; idque non quia Veterum auctoritas ipsis suffragaretur (cujus ope tantum hujusmodi controversiam dirimere oportet), sed quod eo pacto Gallicanae Ecclesiae libertates, quas vocant, facilius se tueri posse existimarent. Qua ex re factum est, ut adversus novam istam opinionem plerique omnes tum ex aliis nationibus, tum ex ipsis quoque Gallis viri doctiores, atque Ecclesiasticae antiquitatis peritiores socia arma conjungere sategerint.

Quam vero egregium, ac laude dignum fuerit id consilium, non est quod pluribus demonstrare conemur. Etenim ubi cum alterius sententiae patronis statuas Pontifices, cum initio inferiorem dumtaxat Italiam exarchali jure moderarentur, postea illud paullatim

variis modis in universum Occidentem protulisse; facillime hinc Catholicam Ecclesiam carpendi, ac vellicandi ansam arripere heterodoxos, et ceteros Fidei hostes nemo non videt. Et sane quis nescit maleferiatos istos homines Apostolicam sedem et antehac accusavisse, et etiamnum accusare non desistere, quod nimio dominandi studio, atque ambitione antiquissimam disciplinam tollere, ac vetera Metropolitanorum, synodorumque jura ad se trahere non dubitarit? Ecquem autem fallit, quam contumeliosis verbis, et atrocibus maledictis summos Pontifices ob commentitias Decretales onerare non vereantur, quasi illi tantae fraudis conscii, et suasores exstiterint, quo facilius suis legibus, et sacro imperio Occidentis gentes subjicere possent? Itaque vix dici potest, quantum Romanae sedis existimationi consultum iverint laudati scriptores, qui suam

operam, ac studium ad id contulerunt, ut patriarchicam potestatem, quam illa nunc in totum Occidentem exercet, non post plura saecula acquisitam, et comparatam, sed jam inde a primo Ecclesiae aevo conjunctam, et sociatam cum eadem fuisse ostenderent.

Verum illud inficiari nequaquam possumus, ex iis plures adeo jejune, exiliter, ac veluti ἐν παρόδῳ *de hac quaestione egisse, ut validiores sibi non praesto fuisse ad rem conficiendam rationes suspicionem adversariis injecerint: quosdam vero etsi hoc ipsum argumentum fuse, et copiose pertractarunt, in tanta tamen messe non modicum aliis, ut ajunt, spicilegium reliquisse. Quocirca magnum operae pretium facturi illi videntur, qui priscis versandis scriptis sedulam navantes operam, atque inde documenta, quae alios adhuc fugerunt, summa colligentes diligentia, ita eorum*

ope hunc locum illustrandum suscipiant, ut non modo quam maxime probabilem, ac veri similem efficiant, sed etiam quodammodo ad evidentiam perducere studeant. Sed et alia quidem de caussa maxima iis habenda erit gratia, quod posito semel Pontificis in Galliam, Hispaniam, Germaniam, aliasque his finitimas regiones jure patriarchico, nullo negotio complures expedientur quaestiones, quae a Canonistis praesertim Gallis agitari consueverunt. Nam si quaeratur ex. gr. num, veteri stante disciplina, Romano Pontifici licuerit Occidentis Episcopos consecrare, exauctorare, ex una ad alteram transferre sedem; num praeterea is potuerit caussarum appellationes a synodorum provincialium judicio excipere: facile quisque perspicit non posse haec, aliaque his similia illi denegari, quin simul Patriarchatus ipse abjudicetur.

Nemini enim latet in Orientis dioecesibus Metropolitas, ceterosque Episcopos a Patriarchae nutu usque eo pendere solitos, ut nullum gravioris momenti Ecclesiasticum negotium sine ejus auctoritate conficere fas esset.

Haec autem cum animo reputassemus, ac legendo non pauca Veterum testimonia occurrissent, quae majori luce idem, quo de loquimur, argumentum adspergere videbantur, haud difficulter a nobis impetravimus, ut libellum hunc de Patriarchatus Romani finibus conscribentes, simul ea omnia, quae per nos antea observata fuerant, publici juris faceremus. Quem quidem si Eruditis viris probari cognoverimus, fructus magni ex nostro labore percepti minime poenitebit: sin vero minus, nostrum saltem publicae utilitati prospiciendi consilium eos omnino esse probaturos confidimus.

DE VETERIBUS FINIBUS

PATRIARCHATUS ROMANI

DISPUTATIO.

CAPUT I.

De Patriarcharum nomine, origine, muneribus, ac privilegiis.

Cum toti disputationi, quam συν Θεῳ aggredimur, illud sit propositum, ut Romani Pontificis patriarchicam potestatem in solidi Occidentis regiones a primis usque Ecclesiae temporibus prolatam fuisse ostendamus, recta ordinis ratio postulare videtur, ut nonnulla, quae hanc quaestionem faciliorem reddunt, atque ad eam quodammodo viam sternunt, praeponenda existimemus. Itaque primo unde vox *Patriarcha* ortum habuerit, et quae varia fuerit ejus significatio; deinde quanam aetate enata sit in Ecclesia patriarchica potestas; postremo quae fuerint ejusdem munera, ac privilegia, breviter expediemus.

Articulus I.

Vocis Patriarcha *origo, et multiplex significatio.*

Nomen *Patriarcha* Ethnicis Scriptoribus ignotum (1) ab Hellenistis Judaeis primum in Graeciam invectum est, qui duas voces Hebraicas ראשי אבות, quae saepius in Veteri Foedere ad familiarum principes designandos usurpantur, πατριαρχας, vel πατερων αρχοντας reddiderunt. Ab iis postea eamdem vocem acceperunt Novi Foederis Auctores, apud quos quater omnino, idest semel in Epist. ad Hebr. et ter in Actis legitur. Sed et post excisa a Romanis Hierosolyma alio plane sensu nomen illud a Judaeis retentum fuisse novimus. Ut enim ii aliquo communionis vinculo inter se colligarentur, ex Davidica stirpe duo principes eligebantur, Patriar-

(1) Casaubonus in *notis ad Vopiscum in vita Saturnini* ait Patriarchae appellationem non modo apud Judaeos, et Christianos, sed etiam apud Gentilium religionum cultores inveniri: sed hallucinatus est profecto vir doctus, meritoque ob id a Salmasio *ibidem* uit reprehensus.

chac dicti; quorum alter Tiberiade pro dispersis in Romano Imperio Judaeis, alter Babylone pro iis, qui inter Parthos versabantur, sedem tenebant. De his Hebraeorum Patriarchis Codex Theodosianus (1), nec non Epiphanius (2), et Hieronymus (3) mentionem faciunt: ipsorumque dignitas, ac potestas ante medium saeculum IV omnino desiit, uti ex ipso Cod. Theodosiano (4), et ex Theodoreto (5) apparet.

Ab Hebraeis vocabulum hocce ad Christianos transiit. Ac primo Montanistae, teste Hieronymo (6), ad praecipuos, atque honoratiores suae sectae Antistites denotandos adhibuerunt. Exinde IV. labente saeculo duo Gregorii Nazianzenus, et Nyssenus Episcopis Catholicis idem nomen tribuerunt. Quorum ille Oratione quadam patrem suum Nazianzi parvae Cappadociae urbis com-

(1) *Lib.* XVI. tit. VIII. *de Judaeis* l. 1. 14. 17. et 29; quarum legum 1. et 29. in Codicem Justiniani migrarunt.

(2) *Haer.* 30.

(3) *In cap.* III. *Isaiae.*

(4) *Citat. leg.* 29.

(5) *Dial.* 1. *cont. Eutych.*

(6) *Epist.* 27. *ad Marcellam* edit. Maur.

mendans Episcopum, vocat *novum Abraham, Patriarcham* (1); et alibi de injuriis ab Arianae sectae hominibus Catholicis Episcopis illatis conquerens haec habet: *Quid grave non passi sumus? nonne injurias? nonne minas? nonne seniorum Episcoporum, atque ut aptiore verbo utar, Patriarcharum caedes publicas* (2)? Nyssenus vero Patres II. Concilii Oecumenici omnes Patriarchas sic appellat (3): *videte hos Patriarchas: omnes hi filii sunt nostri Jacob* (Meletii). Hinc tamen nolim quis cum Binghamo (4) colligat aetate Nazianzeni, et Nysseni, quarto scilicet saeculo id nominis Episcoporum omnium proprium esse factum. Nam praeter memoratos Scriptores (5) nemo alius ea

---

(1) *Orat.* XX. τον νεον Αβρααμ, και Πατριαρχην.

(2) *Orat.* XXXII. Τι δεινον ου πεπονθαμεν; ουχ ὑβρεις; ουκ απειλας; ..... ου πρεσβυτερων Επισκοπων, οικειοτερον δε Πατριαρχων ειπειν, σφαγας δημοσιας;

(3) *Orat. Funebri in Meletium*: Ὁρατε τους Πατριαρχας τουτους. παντες ὀυτοι τεκνα του ἡμετερου εισι Ιακωβ (Meletii).

(4) *Lib.* II. *cap.* 2. *Orig. Ecclesiast.*

(5) Basilius Nysseni frater *epist.* 169. edit. Maur. avaritiam, et ambitionem notans cujusdam diaconi Gly-

aetate, quod sciam, hujusmodi nomine Episcopos honestavit: iidemque, sicut ex ipsorum relatis verbis patet, sat aperte indicant, se non vulgo usitatum nomen adhibuisse, sed eo consilio usos illo fuisse, ut inter Catholicae Ecclesiae Antistites, et vetustissimos Hebraicae gentis progenitores comparationem quamdam instituerent. Atque id ipsum ex eo manifestissime arguitur, quod Hieronymus, qui eodem tempore floruit, Montanistas carpens ob Patriarchae nomenclaturam suae sectae Praesulibus aptatam, illam ad exitum usque saeculi IV. in Christi Ecclesia minime fuisse receptam non obscure his verbis significat (1): *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent; apud eos* (Montanistas) *Episcopus tertius est. Habent enim primos de Pepuza Phrygiae Patriarchas, secundos quos appellant Cenones; atque ita in tertium; idest paene ultimum locum Episcopi devolvuntur.*

---

cerii, qui plures virgines auctoritate privata congregaverat, πατριαρχιαν *patriarchatum* ei affingit. Quo sane ironico loquendi genere nobis potius, quam Binghamo favere videtur.

(1) *Cit. epist. ad Marcellam.*

Verum media ferme quinta Ecclesiae aetate apud Christianos usurpari coepta est isthaec vox ad illustriores denotandos Antistites, qui pluribus provinciis sub una dioecesi comprehensis praeerant. Ejusmodi quidem notione eam accepere Chalcedonensi in synodo Imperatoris legati, cum dixerunt: *Patriarchae cujusque dioeceseos ..... simul de Fide tractantes, quae visa fuerint, manifesta omnibus facient* (1). Nam quod ad Socratem spectat, quem primum Patriarchae nomine ad majorum sedium Episcopos designandos usum esse, itaque Chalcedonensibus PP. eodem sensu illam vocem adhibendi occasionem dedisse volunt P. de Marca (2), et post eum Dupinius (3), ac Binghamus (4); longe aliam mentem ejus historici fuisse, si sedulo ipsius verba perpendantur, quisque perspiciet. Locus enim, de cujus sensu quaeritur, sic se

---

(1) Act. *II.* Οἱ ὁσιώτατοι Πατριάρχαι διοικήσεως ἑκάστης.... κοινῇ περὶ τῆς πίστεως βουλευσάμενοι, τὰ συνδοκοῦντα φανερὰ πᾶσι καταστήσουσιν.

(2) *De conc. Sacerd. et Imp. lib. 1. cap. 3.*

(3) *De ant. Eccl. Discipl. Dissert. I. §. 5.*

(4) *Orig. Eccl. lib. II. cap. 17.*

habet (1): *Patriarchas constituerunt* (PP. Constantinopol.) *distributis provinciis, ut nullus Episcopus ultra propriam dioecesim alienas Ecclesias invaderet. Hoc enim antea ob persecutiones factum promiscue. Ac sortitur Nectarius regiam urbem, et Thraciam: Ponticae autem dioecesis Helladius post Basilium Caesareae Cappadociae Episcopus, Gregorius Basilii frater Nyssae Episcopus (est etiam haec Cappadociae urbs), et Otreius Melitenes*

(1) *Lib. V. cap. 8.* Πατριαρχας κατεστησαν διανειμαμενοι τας επαρχιας, ὡστε τους ὑπερ διοικησιν Επισκοπους ταις ὑπερoριαις Εκκλησιαις μη ὑπερβαινειν. τουτο γαρ προτερον δια τους διωγμους εγινετο αδιαφορως. Και κληρουται Νεκταριος μεν την Μεγαλοπολιν, και την Θρακην. της δε Ποντικης διοικησεως Ἑλλαδιος ὁ μετα Βασιλειον Καισαρειας της Καππαδοκιας Επισκοπος, Γρηγοριος ὁ Νυσσης ὁ Βασιλειου αδελφος (Καππαδοκιας δε και ἡδε πολις), και Οτρηϊος ὁ της εν Αρμενιᾳ Μελιτηνης την Πατριαρχιαν εκληρωσατο. Την Ασιανην λαγχανουσιν Αμφιλοχιος ὁ Ικονιου, και Οπτιμος ὁ Αντιοχειας της Πισιδιας. τα δε κατα την Αιγυπτον Τιμοθεῳ τῳ Αλεξανδρειας προσενεμηθη. των δε κατα την Ανατολην Εκκλησιων την διοικησιν τοις αυτης Επισκοποις επετρεψαν, Πελαγιῳ τε τῳ Λαοδικειας, και Διοδωρῳ τῳ Ταρσου, φυλαξαντες τα πρεσβεια τῃ Αντιοχεων Εκκλησιᾳ.

in Armenia Antistes Patriarchatum obtinuit. Asianam sortiuntur Amphilochius Iconii, et Optimus Antiochiae Pisidiae Episcopus: Aegypti vero provinciae Timotheo Alexandrino assignatae sunt. Ecclesiarum demum Orientis administrationem illius regionis Episcopis commiserunt, Pelagio Laodiceno, et Diodoro Tarsensi, servatis privilegiis Antiochenae Ecclesiae. Quibus verbis duo sat diversa, ac distincta perperam confundit, simulque miscet Socrates, canonem videlicet Constantinopolitani Oecumenici concilii, quo cavetur, ne Episcopi extra suae dioecesis limites in alienas irrumpant (1); et Theodosii M. legem eos tantum Episcopos Ecclesiis praefici jubentem, qui Nicaenam fidem profiteantur, et communione sint cum certis quibusdam Praesulibus conjuncti (2). Etenim Episcopi, quorum meminit hoc loco Socrates, in canone Constantinop. minime inveniuntur; sed iidem plane sunt, atque illi, quos Theodosius citata lege ab aliis sequendos designat. Itaque non de patriarchica potestate proprie dicta

(1) *Conc. Constantinop. an.* 381. *Can.* 2.

(2) *Leg.* 3. *tit.* I. *de Fide Cath. lib.* XVI. *Cod. Theodos.*

Socratis verba sunt intelligenda, sed de eo munere, seu legatione, qua in Asiae dioecesibus, ut modo innuimus, Episcopi Catholicae fidei studio clariores fungebantur: idque magis comprobatur, tùm quod inter eos non solum veri nominis Patriarchae, verum etiam vel Metropolitae, vel meri Episcopi recensentur, tum quod hujusmodi munus modo πατριαρχίαν *patriarchatum*, modo διοίκησιν *administrationem* appellat.

Verum, quidquid de Socratis mente sit, illud omnino constat post Chalcedonensem synodum Patriarchae nomen ad illustriorum urbium Antistites significandos, qui integris dioecesibus (1), et Metropolitanis ipsis imperabant, vulgo accommodatum fuisse; idque ex veterum monumentis, maximeque e Graecorum scriptis ediscere datur (2).

---

(1) Vox *dioecesis* non eo sensu heic accipitur, quo nunc vulgo sumimus, nimirum pro angustis finibus, quibus singulorum Episcoporum potestas includitur: sed integrum plurium provinciarum tractum indicat, qua certe notione eam adhibuerunt Graeci praesertim saeculo IV. et sequentibus, quaque leges Romanae utriusque Codicis millies accipiunt.

(2) Latini, qui post Chalcedonense concilium scripserunt, insigniores Occidentis Metropolitanos quan-

Ac de patriarchali dignitate quidem hac postrema acceptione sumta per nos in praesenti disputatione agetur: primumque unde ejus origo sit arcessenda, sequenti articulo videbimus.

ARTICULUS 2.

De patriarchalis potestatis ortu variae referuntur opiniones. Ab ipsis Apostolis eam inductam longe verosimilius statuitur. Refelluntur Dupinius, et Launojus.

Quae de patriarchalis potestatis origine doctorum virorum habentur sententiae, eae tres imprimis numerari possunt. Plurimi sane post Baronium (1), Petrum de Marca (2), Christ.

---

doque Patriarchas denominarunt, ut prae ceteris Victor Vitensis *de persecut. Vandal. lib.* 2. Gregorius Turon. *lib.* V. *cap.* 20. et Cassiodorus *epist.* 15. *lib.* IX. Non ergo mirandum, si falsae Decretales Episcopos vicaria Pontificis auctoritate fungentes promiscue Primates, et Patriarchas appellent.

(1) *In Annal. ad an.* 39.

(2) *Lib.* I. *cap.* 3. *de Concor. Sac. et Imp.*

Lupum (1), Pagium (2), Thomassinum (3), Allatium (4), Schelestratium (5) illam ab Apostolis deducunt: eidemque opinioni adstipulantur ex heterodoxis quoque Hammondus (6), et Usserius (7). Rursus Ludovicus Dupinius non ab Apostolis, sed a moribus ante Nicaenam synodum receptis Patriarchas derivat (8). Nec valde dissidere a Dupinio videntur tum Binghamus (9), tum Balsamon (10), ceterique Graeci recentiores, qui Nicaeni concilii canoni VI. illorum institutionem adscribunt. Demum Launojo (11), paucisq: aliis placuit patriarchalis dignitatis initium a Constantinopol. Oecumenica synodo an. 381 repetere.

(1) *Can.*VI. *Nic. part.* I.

(2) *Crit. Baron. ad an.* 37.

(3) *De vet. et Nov. Eccles. discipl. Part.* I. *lib.*I. *cap.* 8.

(4) *De Occid. et Orient. Eccles. consens. lib.*I. *cap.*2.

(5) *Antiquit. Eccles. illustrat. Tom.*II. *Dissert.* V. *cap.* 1.

(6) *Dissert. de Episcop.*

(7) *De origine Episcop. et Metrop.*

(8) *De antiqua Eccles. discipl. Dissert.* I. §. 6. *et* 8.

(9) *Orig. Eccles. lib.* II. *cap.* 17.

(10) *In can.* VI. *concilii Nic.*

(11) *Dissert. de recta interpret. Can.* VI. *concilii Nic.*

Ex tribus hisce sententiis priorem magis ad veritatem accedere, non uno quidem argumento suadere licet (1). Nam primum illi suffragatur veterum auctoritas, qui profecto rem, qua de loquimur, eo melius callere poterant, quo minus ab Apostolico aevo distabant, quoque minus literariis monumentis carebant, quae nobis temporum iniquitas invidit. Et sane Leo M. ad Anatolium Constantinopolitanum scribens sedium patriarchalium Alexandrinae, et Antiochenae institutionem Apostolorum Principi aperte ita tribuit (2): *Nihil Alexandrinae sedi ejus, quam per S. Marcum B. Petri discipulum meruit, pereat dignitatis.....Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum praedicante Apostolo*

(1) Ne Ecclesiasticarum rerum parum peritis errandi occasio detur, animadvertendum putamus memoratos Auctores, cum Patriarchatum ab Apostolis constitutum asserunt, id de primariis tantum sedibus, Romana, Alexandrina, et Antiochena intelligere: nam Constantinopolitanam, et Hierosolymitanam Ecclesiam longe post Apostolicam aetatem patriarchales fuisse nemo diffitetur.

(2) *Epist.* 53. edit. veter.

Petro Christianum nomen exortum est, in paternae constitutionis ordine perseveret, et in gradu tertio collocata nunquam se fiat inferior. Et alibi expressius (1): *alia ratio est rerum saecularium, alia divinarum; nec praeter illam Petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio:* quasi dicat, nullius posse esse momenti Chalcedonense decretum, quo Constantinopolitana sedes Alexandrinae, atque Antiochenae praefertur, quia adversum est sacri regiminis formae constitutae a Petro Ecclesiae fundamento. Eademque est mens Gelasii, cum tradit, ***secundam sedem apud Alexandriam B. Petri nomine a Marco ejus discipulo consecratam esse, et tertiam sedem apud Antiochiam ejusdem B. Apostoli nomine haberi honorabilem*** **(2): nec non Gregorii M. cujus hoc est luculentissimum testimonium (3):** ***Ipse*** **(Petrus)** ***sublimavit sedem, in qua etiam quiescere, et praesentem vitam finire dignatus est: ipse decoravit sedem, in quam Evangelistam discipulum misit:***

---

(1) *Epist.* 54.

(2) *In synodo Romana* an. 494.

(3) *Lib.* VII. *epist.* 40. *ad Eulogium Alexandrinum.*

ipse firmavit sedem, in qua septem annos, quamvis discessurus, sedit. Nec vero de Patriarchatus exordio Romani Pontifices tantum sic cogitarunt, sed vetustiores quoque Graeci, et praecipue Theodoretus Cyri in Syria Episcopus, qui eadem Leonis M. aetate vixit. Is enim Dioscorum vellicans, qui longe plus, quam par erat, Alexandrinae Ecclesiae auctoritatem extollebat, quasi etiam Antiochenam regere posset, haec inquit (1): *Ille vero* (Dioscorus) *passim Beati Marci thronum objicit, idque optime sciens magni Petri thronum Antiochiae fuisse, qui et Beati Marci magister fuit, et Apostolici chori princeps, et coryphaeus.* Ex quo loco etiam vides Aegyptios Episcopos idem, ac Theodoretus, ceterique Antiochenae dioecesis Antistites, de patriarchali dignitate sensisse.

Porro laudatis testimoniis minime adversatur vel Innocentius I. Pontifex, cum Nicaenos Patres

---

(1) *Epist.* 86. ad Flavianum Constantinopol. Ὁ δὲ ανω και κατω του μακαριου Μαρκου τον θρονον προβαλλεται. και ταυτα σαφως ειδως, ότι τȣ μεγαλȣ Πετρου τον θρονον ἡ Αντιοχεων μεγαλοπολις εχει, ὁς και τȣ μακαριȣ Μαρκȣ διδασκαλος ην, και τȣ χορȣ των Αποστολων πρωτος, και κορυφαιος.

Antiochenae Ecclesiae in totam Orientis dioecesim potestatem concessisse his verbis affirmat (1): *Revolventes auctoritatem Nicaenae synodi, quae una omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum de Antiochena Ecclesia ....super dioecesim suam, non super aliquam provinciam praedictam Ecclesiam cognoscimus constitutam;* vel Hieronymus cum ad Pammachium scribens, idem de Antiochenis privilegiis tradit, ita Ioannem Episcopum Hierosolymitanum alloquens (2): *Tu qui quaeris regulas Ecclesiasticas, et Nicaeni concilii rationibus uteris, et alienos Clericos cum suis Episcopis commorantes tibi niteris usurpare, responde mihi, ad Alexandrinum Episcopum Palaestina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi* (idest in Nicaeno concilio) *decernitur, ut Palaestinae Metropolis Caesarea sit, et totius Orientis Antiochia.* Etenim ii Scriptores non id sibi volunt, Antiochenae Ecclesiae privilegia primum per Nicaenos Patres esse constituta, quos probe norant can. VI. de patriar-

(1) *Epist.* 24. *ad Alexandrum Antioch.* apud Constant. in *Epist. Rom. Pontif.*

(2) *Epist.* 38. edit. Maur.

chicis juribus antiquos mores servari jussisse; sed illud solum docent, Antiochenae Urbis, ut et aliarum illustriorum sedium potestatem, quae antea receptis moribus innitebatur, fuisse deinde per Nicaenos canones confirmatam.

Praeterea ex iis, qui a nobis dissentiunt, alii in concilio Oecumenico aut Nicaeno, aut Constantinopolitano Patriarchatus originem agnoscunt; alii ante Nicaena comitia inductum fuisse censent. Qui primum admittunt, ipsos Nicaenos, et Constantinopolitanos Patres adversarios habent; siquidem hi nil novi statuentes, Episcopos suae dioeceseos fines transilire vetant κατα τους κανονας, κατα τα εν Νικαιᾳ ὡρισμενα, *secundum canones, secundum Nicaena decreta* (1): illi vero de Patriarchis agentes τα αρχαια ηθη *antiquos mores* servandos edicunt (2); quare nemo non videt istam opinionem nullo pacto probari posse. Qui autem alterum volunt, initium scilicet ante Nicaenam synodum Patriarchas sumsisse, ii quoque gravissimis urgentur difficultatibus. Nam quis sibi facile persuadeat, Eusebium, qui res primis illis Ecclesiae temporibus gestas etiam minoris mo-

---

(1) *Can.* 2. *concil. Oecumen. Constantinop.* an. 381.
(2) *Can.* 6. *Nic. concil.*

menti posterorum memoriae prodere studuit, rem hanc maximam, et gravissimam, per quam exterior *politia* ab Apostolis instituta immutabatur, silentio praeteriisse, praesertim cum tanta rerum commutatio sine magnis turbis, ac dissensionibus vix fieri potuisse videatur? Etenim cum unus Romanus Pontifex cunctis aliis Episcopis potestate excelleret, quippe qui a Christo ipso universae Ecclesiae praepositus est, is solummodo hanc novitatem Christiano orbi imperare potuisset. At cum Victor altero labente saeculo, et Stephanus media tertia aetate, quamvis contra Quartodecimanos, et baptismum iterantes Apostolicam tuerentur doctrinam, plures tamen Episcopos nacti sint adversantes, qui pro suo errore, sicut ex indubiis monumentis accepimus, acriter decertarent; quî, quaeso, contigisse existimabimus, ut vel omnes Episcopi novam, nullo resistente, disciplinam induci, seque nativa libertate, qua ex Apostolicis institutis potiebantur, spoliari paterentur: vel si nonnullae turbae, contentionesque excitatae sint, eas veluti ex compacto omnes ad unum prisci scriptores reticerent? Nisi quis tamen credere malit Apostolos initio paucos tantum Metropolitas creasse, eosque amplissimo plurium provinciarum tractui praefecisse, qui deinceps

in provinciis sibi subjectis aliis Metropolitis constitutis, hoc pacto Patriarchae evaserunt. Sed praeterquam quod memorabile hoc factum minime veteres historici omisissent, si ita res se habuisset, Apostolici Metropolitae nihil, aut fere nihil a Patriarchis discrepassent: quoniam creatis novis in singulis provinciis Metropolitis, haud novum jus sibi comparassent; ast eadem, quam ante habebant, potestate retenta, suorum partem jurium per hosce tamquam per vicarios exercuissent; ut isthaec adscita patriarchica dignitas in nativa illa metropolitica inclusa dici posset, propterea que Apostolos ipsos auctores habere videretur.

Huc accedit, quod nihil magis Apostolis Christus commendaverat, quam ut Fidei unitatem, pacisque concordiam tuerentur; nimirum ut Ecclesiae corpus ubique terrarum unum constaret, sive, ut inquit Cyprianus (1), *unus esset Episcopatus*, *cujus pars in solidum* a pluribus teneretur. At fidei unitas, atque Ecclesiasticae communionis vinculum haud tam facile retineri quivisset, si non patriarchali dignitati, multoque

(1) *Lib. de unitate Eccles.*

minus si nec metropoliticae, ut Dupinio (1), aliisque nonnullis visum est, subessent Episcopi iis praesertim temporibus, cum novitius Christi grex undique ab Ethnicis, Iudaeis, et Haereticis peteretur. Atque huic ratiocinationi mirifice favet Leo M. cum ad Anastasium Thessalon. scribit (2): *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis; et quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praeemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiae cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret.* Quae sane verba aperte indicant, Apostolos ad unitatem, et pacem servandam statuisse, ut in singulis provinciis essent Metropolitae, et in majoribus urbibus Patriarchae. Quocirca ut quod magis

(1) *Citat. Dissert.* §. 6.
(2) *Epist.* 84.

probabile, minusque difficultatibus sit obnoxium, in hac re eligamus, illud statuendum est, Patriarcharum dignitatem ex Apostolicis institutis dimanasse secundum auream Augustini regulam (1): *quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

His igitur, quod ad hanc quaestionem pertinet, positis, videamus nunc, quid contra adversarii dicant. Et quidem Dupinius (2) negat ab Apostolis statuta jura patriarchica in tribus illustrioribus Ecclesiis, quas supra memoravimus, licet eas Apostoli fundaverint, quod plures alias Ecclesias Apostoli condiderunt, puta Corinthi, Philippis, Thessalonicae etc. quae quidem Apostolicae fuerunt, non item patriarchales. Itaque opinatur patriarchales sedes ex civili Imperii in dioeceses divisione ortum habuisse: quae quidem distributio cum facta fuerit Constantini aetate, et post devictum Licinium, illud sequitur, ut paullo ante indictam Nicaenam Synodum patriar-

(1) *Lib.* IV. *de Baptis. cont. Donat. cap.* 24.
(2) *Dissert. citata* §. 6. *et seqq.*

chicam dignitatem enatam esse Dupinius autumaverit. Verum advertere debebat Parisiensis Theologus non idcirco Romanae, Alexandrinae, atque Antiochenae Ecclesiis jura patriarchalia nos vindicare, quod ab Apostolis fuerint fundatae; sed quia Apostolorum princeps Petrus, cui Dominus totam regendam Ecclesiam commisit, eas per se, vel per discipulos suos gubernavit, in iisque quodam modo simul sedem posuit. Nimirum dignitas patriarchica a Primatu, non ab Apostolatu descendit: et quia Petro in ceteros Apostolos principatus divinitus delatus fuit, ideo ab uno Petro decerni poterat, ut tres illae Ecclesiae ceteris potestate antecellerent. Praeclare in rem nostram Hincmarus Rhemensis inquit (1): *Sedes Ecclesiarum, Romanae, Alexandrinae, atque Antiochenae idcirco specialiter legimus sedes dici, quum plurimae sint sedes et Apostolorum, sicut Iacobi Hierosolymae, et Ioannis apud Ephesum, in qua sedit et Timotheus beati Paulli discipulus, et multae aliae principalium civitatum; quoniam sedes sunt, quin potius una sedes sunt magni Petri Apo-*

(1) *Tom.* 2. *Opusc.* 33. *cap.* 16.

stolorum Principis. Cur autem hae sedes praecipue delectae, quae aliis antistarent, ea procul dubio caussa fuit, quod ex urbibus illustrioribus, et frequentioribus Evangelii praedicatio facilius in circumjecta oppida, et in vicinas provincias, ac regiones propagari poterat. Hinc Chrysostomus (1): *ad majores*, ait, *festinant urbes* (Apostoli), *sermone inde quasi ex aliquo fonte ad vicinas emanaturo.* Et Leo Pontifex de Romana urbe haec habet (2): *Beatissimus Petrus, princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperii, ut lux veritatis, quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.*

Quod vero putat Dupinius, ex Imperii in dioeceses partitione patriarchicam dignitatem exortam esse, ac propterea non multo ante Nicaenam synodum, id plane ejusdem synodi testimonio refutatur, quae vetustis moribus patriarchalia privilegia suffulta aperte significat. En ipsa Ni-

(1) *Homil. 37. in Act. cap. 17.* επι τας μειζους πολεις επειγονται, εκειθεν καθαπερ εκ τινος πηγης μελλοντος του λογου διαρρειν εις τας πλησιον.

(2) *Sermone* I. *in Nativit. Apostol. Petri, et Paulli.*

caenorum Patrum verba (1): *Antiqui mores serventur in Aegypto, et Libya, et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus harum omnium habeat potestatem: quoniam Episcopo Romano eadem est consuetudo. Similiter autem et apud Antiochiam, ceterasque provincias sua privilegia serventur Ecclesiis.* Nec profecto credibile est concilium *antiquos* eos mores appellare voluisse, qui paucos ante annos coepti erant, ut Dupinio videtur. His adde, quod nonnulla patriarchicae potestatis indicia iis saeculis, quae laudatum concilium antecesserunt, nobis suppeditant veteres libri. Sane Polycrates Ephesinus Episcopus altero exeunte saeculo eo jure usus est, cum in controversia de Paschatis die Asianos Episcopos non ex una, uti videtur, provincia, sed ex pluribus in synodum coëgit; fuit enim haec frequentissima, teste ipsomet Polycrate in Epistola ad Victorem Pontificem: *possem*, ait,

(1) *Can. VI.* τα αρχαια ηθη κρατειται, τα εν Αιγυπτῳ και Λιβυῃ, και Πενταπολει, ὡστε τον Αλεξανδρειας Επισκοπον παντων τυτων εχειν εξυσιαν, επειδη και τῳ εν τῃ Ῥωμῃ Επισκοπῳ τυτο συνηθες εστιν. Ὁμοιως δε και κατα την Αντιοχειαν, και εν ταις αλλαις επαρχιαις τα πρεσβεια σωζεσθαι ταις Εκκλησιαις.

Episcopos mecum praesentes commemorare, quos jussistis me convocare, et convocavi; quorum nomina si scribam, ingens erit numerus (1). Ac tertio saeculo Episcoporum Libyae superioris concilium habuisse Dionysium Alexandrinum ob serpentem Sabellii haeresim refert Athanasius, qui haec addit: *ipse enim curam gerebat Ecclesiarum illarum* (2). Si ergo Alexandrinus Antistes praeter totam Aegyptum etiam Libyae superioris tertio Ecclesiae saeculo provinciam regebat, patriarchica certe in eam auctoritate fruebatur. Eadem quoque aetate Firmilianum Caesareae in Cappadocia Episcopum frequens concilium ex Cappadocia, Galatia, et vicinis provinciis Iconii congregasse ad dirimendam de haereticorum baptismo quaestionem ex ipso Firmiliano discimus (3); quod sane ar-

(1) Apud Eusebium *lib.* V. *Histor. cap.* 24: Εδυναμην δε των Επισκοπων των συμπαροντων μνημονευσαι, ὁυς ὑμεις ἠξιωσατε μετακληθηναι ὑπ' ἐμου, και μετεκαλεσαμην, ὧν τα ονοματα εαν γραφω, πολλα πληθη εισιν.

(2) *Epist. de sententia Dionys.* αυτος γαρ ειχεν την φροντιδα Εκκλησιων εκεινων.

(3) *Epist. ad Cyprianum* (quae est inter Cyprianicas 75. edit. Pam.)

gumento est cum aliqua potestate in illas provincias praeditum fuisse, quae metropolitica major erat. Nec diversum judicium ferre oportet de Agrippino, et Cypriano Carthaginiensibus Episcopis, quos concilia majora ex pluribus Africae provinciis habuisse Cypriani opera nos commonefaciunt. Hinc in Actis unius ex conciliis a Cypriano ob haereticorum baptisma congregatis sic legimus (1): *Cum in unum Carthagine convenissent Episcopi plurimi ex provincia Africa, Numidia, et Mauritania cum presbyteris, et diaconis.* Atque has quidem regiones cave credas Cypriani aetate unam dumtaxat constituisse provinciam Ecclesiasticam Carthaginiensi Episcopo subjectam: etenim legimus anno 305, idest antequam imperium adeptus esset Constantinus, Cirtae in Numidia concilium provinciale habitum a Secundo Tigisitano illius provinciae Primate (2). E quibus omnibus satis apparet, quantum a vero aberraverint praeter Dupinium, et Binghamum, etiam Graeci canonum interpretes, qui a Nicaena synodo primum Patriarchas constitutos docent.

(1) Exstant inter *Epist. Cypriani.*
(2) *Tom. I. Concil.* edit. Labbè.

Digitized by Google

Post Dupinium refellendus restat Launojus, cujus sententia adeo infirma, et nullo nixa fundamento plerisque visa est, ut non modo a Valesio (1), et aliis doctioribus viris oppugnata fuerit, sed ipsi quoque Dupinio displicuerit (2). Nam quod contendit patriarchalium jurium originem a canone II. Constantinopolitani concilii an. 381. esse arcessendam, et in Nicaeno VI. canone de metropolitica Apostolicarum sedium potestate, non de patriarchica agi; id quidem toti antiquitati manifestissime adversatur. Ut enim mittam, quae adversum Dupinium protuli, nonne mendacii aperte Launojum arguunt modo citata Innocentii, et Hieronymi testimonia? Ad haec Nicaenos Patres majorum sedium Episcopis, vel eorum legatis per dioeceses, quibus praesidebant, sua decreta pervulganda dedisse auctor est Gelasius Cyzicenus V. saeculi scriptor; cujus locum, licet longiusculum afferre necesse habeo, quippe ad rem nostram opportunissimum (3):

(1) *Observ. Ecclesiast. in Socr. et Sozomenum lib.* III.

(2) *Citat. Diss. §. ult.*

(3) *Lib.* II. *cap.* 36. Ὁσιος Επισκοπος Κορδουβης ταις κατα Ῥωμην, και Ιταλιαν, και Σπανιαν πασαν, και ταις εν τοις λοιποις εθνεσι τοις επεκεινα καταμενουσιν ἑως του Ωκεανου ἁγιαις τȣ Θεȣ Εκκλησιαις δια των συν αυτῳ πρεσβυτερων.

Osius, inquit, *Cordubensis Sanctis Dei Ecclesiis Romae, in Italia, et Hispania tota, et in aliis ulterius nationibus commorantibus usque ad Oceanum simul cum presbyteris Ro-*

Ῥωμης Βιτωνος, και Βικεντιυ. Αλεξανδρος Αλεξανδρειας συν Αθανασιῳ τοτε αρχιδιακονῳ οντι ταις κατ' Αιγυπτον πασαν, και Λιβυην, και Πενταπολιν, και ὁμορα τυτοις ἑως των της Ινδιας επαρχιων. Μακαριος Ἱεροσολυμων συν Ευσεβιῳ τῳ Παμφιλυ Επισκοπῳ Καισαρειας ταις κατα Παλαιστινην, και Αραβιαν, και Φοινικην. Ευσταθιος Αντιοχειας της μεγαλης ταις κατα Συριαν κοιλην, και Μεσοποταμιαν πασαν, και Κιλικιαν ἑκατεραν. Ιωαννης Περσης ταις εν Περσιδι πασῃ, και τῃ μεγαλῃ Ινδιᾳ. Λεοντιος Καισαρειας Καππαδοκιας ταις κατ' αυτην Καππαδοκιαν, Γαλατιαν, Ποντον Διοσποντου, Παφλαγονιαν, Ποντον Πολεμωνιακον, Αρμενιαν μικραν, και μεγαλην. Θεωνας Κυζικυ ταις κατα την Ασιαν, και Ἑλλησποντον, Λυδιαντε, και Καριαν δια των ὑπ' αυτον Επισκοπων, Ευτυχιυ Σμυρνης, και Μαρινυ Τρωαδος. Αλεξανδρος Θεσσαλονικης δια των ὑπ' αυτον τελυντων ταις κατα Μακεδονιαν πρωτην, και δευτεραν συν τῃ Ἑλλαδι, τυτε Ευρωπην πασαν, Σκυθιαν ἑκατεραν, και ταις κατα το Ιλλυρικον ἁπασαις, Θεσσαλιαντε, και Αχαιαν. Νυνεχιος Λαοδικειας ταις κατα την Φρυγιαν πρωτην, και δευτεραν. Πρωτογενης πολεως Σαρδικης ταις εν Δακιᾳ, Καλαυριᾳ, Δαρδανιᾳ, και ταις ὁμοροις τυτοις. Καικιλιανος πολεως Καρθαγενης ταις κατα πασας τας επαρχιας τας τε Αφρικης, και τας Νυμιδιας, και Μαυριτανιας αμφοτερας ουσαις ἁγιαις του Θεου Εκκλησιαις.

manis Vitone, et Vincentio. Alexander Alexandrinus cum Athanasio Archidiacono Ecclesiis per Aegyptum totam, et Libyam, et Pentapolim, et loca finitima usque ad Indiae provincias. Macarius Hierosolymitanus cum Eusebio Pamphili Caesareensi Ecclesiis Palaestinae, Arabiae, et Phoeniciae. Eustathius Antiochenus Ecclesiis per Syriam cavam, et Mesopotamiam omnem, et utramque Ciliciam. Ioannes Persa Ecclesiis in omni Perside, et magna India. Leontius Caesareae Cappadociae Episcopus Ecclesiis per Cappadociam, Galatiam, Pontum Diosponti, Paphlagoniam, Pontum Polemoniacum, Armeniam parvam, et magnam. Theonas Cyzicenus Ecclesiis in Asia, Hellesponto, et Lydia, et Caria per Episcopos sibi subjectos, Eutychium Smyrnensem, et Marinum Troadensem. Alexander Thessalonicensis per eos, qui sub ipso censentur, Ecclesiis omnibus in Macedonia prima, et secunda cum Hellade, in Europa omni, Scythia utraque, et Illyrico, Thessalia, et Achaia. Nunechius Laodicensis Ecclesiis in Phrygia prima, et secunda. Protogenes Sardicensis Ecclesiis in Dacia, Calauria, Dardania, et locis finitimis. Caeci-

lianus Carthaginiensis sanctis Dei Ecclesiis per omnes provincias Africae, et Numidiae, et utriusque Mauritaniae. Hactenus Gelasius: qui quidem in hac Episcoporum enumeratione non modo Exarchos integris dioecesibus praepositos, sed nonnullos quoque recenset ex clarioribus Metropolitis, qui ceu Exarchorum legati in ejusmodi re spectari possunt. In singulis autem hisce dioecesibus, si vera esset Launoji sententia, unus tantum debuisset esse tunc temporis Metropolita, non plures, quorum illustrior aliis praeficeretur. At secus se res habuit. Ut enim ab Antiocheno Exarchatu incipiam, ad quem ex Gelasio pertinebat Syria, Mesopotamia, et utraque Cilicia, in eo, praeter Antiochiam, altera saltem Metropolis Osroënae provinciae in Mesopotamia agnosci debet; nam secundo exeunte saeculo in Osroëna provincia concilium fuisse coactum ob Paschatis controversiam refert Eusebius (1). His si addamus Caesaream Palaestinae, ubi etiam habitum est concilium ob eamdem controversiam ex citato Eusebio; et Persidis Metropolim, cui, teste eodem Gelasio, praeerat Ioannes: cum Antiocheno

(1) *Lib.* V. *Hist. Eccl. cap.* 22.

Antistiti hae ambae semper paruerint (1), quatuor saltem metropoliticas Ecclesias in Antiochena dioecesi Nicaenae synodi aetate numeremus necesse est. Sin vero de Alexandrino Episcopo loquamur, quem praesertim amplissimae Aegypti dioecesi non alia, quam metropolitica jurisdictione imperasse vult Launojus; quarto ineunte saeculo, paullo videlicet ante Nicaena comitia, eo inferior quidem erat Lycopolitanus Praesul Meletius, unde ortum schisma Meletianum, at Episcopis ceteris superior, uti testatur Epiphanius, qui eodem saeculo floruit, et multos annos in Aegypto transegit (2). *Videbatur*, en verba Epiphanii, *Meletius ceteris Aegypti Episcopis major, et secundum a Petro* (Alexandrino Episcopo) *dignitatis locum obtinebat, utpote illius adjutor; sed eidem tamen subjectus erat.* Et alibi appellat eumdem Meletium αρχιεπισκοπον *archiepiscopum* (3). Ex quo colligimus ea aetate, qua

---

(1) Vide Michaelem Lequienium in *Oriente Christiano.*

(2) *Haer.* 68. Εδοκει δε και ὁ Μελητιος των κατα την Αιγυπτον προηκων, και δευτερευων τῳ Πετρῳ κατα την Αρχιεπισκοπην, ὡς δι᾽ αντιληψεως αυτου χαριν, ὑπ᾽ αυτον δε ων.

(3) *Haer.* 69.

vixit Meletius, Antistitem saltem Lycopolitanum, praeter Alexandrinum, in Aegypto metropolitica dignitate potitum fuisse. Plures quoque in dioecesi Pontica, et Asiana Metropolitas per ea tempora fuisse, ut nihil de allato Gelasii loco dicamus, dubitare nos non sinunt prisci Ecclesiasticae historiae scriptores. Quod autem ad Africanam, et Macedonicam dioecesim attinet, in utraque plures Metropolitani ante annum 381. reperiebantur, in quos exarchicum jus exercebant Carthaginiensis, et Thessalonicensis Antistites; quemadmodum, si vel alia desint monumenta, plenam fidem faciunt tum Cypriani ad Cornelium, et Stephanum Pontifices epistolae, tum Caesareensis Eusebii historia provinciale concilium narrans contra Quartodecimanos sub alterius saeculi finem Corinthi habitum (1). Demum de patriarchica Romanae sedis jurisdictione in Italiam, Hispaniam etc. nil adjiciam hoc loco; quandoquidem de ea sat prolixus sequenti capite instituetur sermo.

Verum Launojus, ejusque asseclae ajunt primo Nicaenos canones praecepisse, ut omnes caussae Ecclesiasticae in synodis provincialibus defini-

(1) *Citato loco.*

rentur; nec permissum esse, ut illae ad synodos majores, seu dioecesanas deferrentur, nisi postquam per concilium Constantinopolitanum Orientis Ecclesia in dioeceses dispertita est. Deinde asserunt Metropolitanos toto ferme quarto saeculo ab Episcopis provincialibus ordinatos esse. Tandem affirmant Innocentium, et Hieronymum bona fide, et re non bene expensa Nicaenis Patribus Patriarcharum institutionem tribuisse, quae unice Constantinopolitanis debetur. Haec fere sunt illorum argumenta, quae tamen nullo negotio dissolvuntur. Quod enim ajunt, Nicaenos Patres synodos tantum provinciales praescribere, facile respondemus eos de solis ordinariis synodis verba facere, cujusmodi tunc temporis provinciales censebantur; quare illas bis singulis annis ad cunctas controversias dirimendas cogi jubent. Sed inde minime sequitur, eosdem Patres majora, seu dioecesana concilia aut ignorasse, aut vetuisse. Et sane quo pacto ignota esse poterant vel Illiberitanum concilium ex tota Hispania coactum; vel Ancyranum, et Neocaesareense e pluribus Asiae provinciis conflata; vel his antiquiora duo Antiochena adversus Paullum Samosatenum, plura Africana tum lapsorum, tum haereticorum baptismi caussa, Ephesinum deni-

que in controversia de celebrando Paschate a Polycrate convocatum: ut merito dicere possis majore quidem numero dioecesana, quam provincialia a veteribus ante Nicaena comitia memorari? Quod si haec noverant, quanam ratione prohibere poterant, ne ad majora dioecesana concilia deferrentur caussae graviores Ecclesiasticae, quas in ordinariis provincialibus haud facile erat definiri? Aut si prohibuerint, cur factum est, ut, contemtis Nicaenis decretis, majora concilia nonnunquam ante Constantinopolitanum oecumenicum in Occidente, et Oriente coaluerint; uti prae aliis Romanum a Damaso ex Italia, et Gallia (1), et Antiochenum a Meletio ex omnibus Orientis provinciis convocatum (2)?

Iam vero falso asseritur a Constantinopolitana synodo primum in dioeceses divisam fuisse Orientis Ecclesiam; siquidem hujus synodi Patres canone II. caverunt tantum, ne Ecclesiarum fines Episcopi praetergrederentur, et in alienis Episcopalia munera obirent. Evidenter id e verbis ipsis canonis eruitur, qui sic habet (3): *Episcopi*

(1) Theodoret. *Hist. Eccles. Lib.* II. *cap.* 22.

(2) Holsten. *Collect. Roman. Tom.* I.

(3) Τους ὑπερ διοικησιν Επισκοπους ταις ὑπερορίοις Εκκλησιαις μη επιεναι, μηδε συγχειν τας Εκκλησιας· αλλα κατα

ultra propriam dioecesim alienas Ecclesias non invadant, neque Ecclesias perturbent: sed Alexandrinus Episcopus res Aegypti tantum administret; Episcopi vero Orientis solum Orientem gubernent, servatis secundum canones Nicaenos Antiochenae Ecclesiae privilegiis; et Asianae dioecesis Episcopi solam Asiam administrent, et Ponticae Dioecesis, ac Thraciae Episcopi Ponticam solum, ac Thraciam regant. Episcopi vero ne excurrant ultra dioecesim non vocati ad Ordinationes, et alia officia Ecclesiastica. Servato autem de dioecesibus praescripto canone, manifestum est ea, quae ad singulas provincias spectant,

---

τους κανονας τον μεν Αλεξανδρειας Επισκοπον τα εν Αιγυπτῳ μονον οικονομειν· τους δε της ανατολης Επισκοπους την ανατολην μονην διοικειν, φυλαττομενων των εν τοις κανοσι τοις κατα Νικαιαν πρεσβειων τῃ Αντιοχεων Εκκλησιᾳ· και τους της Ασιανης διοικησεως Επισκοπους την Ασιαν μονην οικονομειν· και τους της Ποντικης ταυτην Ποντικην μονον, και τους της Θρακης τα της Θρακικης μονον οικονομειν. Ακλητους δε Επισκοπους ὑπερ διοικησιν μη επιβαινειν επι χειροτονιαις, η τισιν αλλαις οικονομιαις Εκκλησιαστικαις. Φυλαττομενου δε του προγεγραμμενου περι των διοικησεων κανονος, ευδηλον ὡς τα καθ' ἑκαστην επαρχιαν ἡ της επαρχιας συνοδος διοικησει κατα τα εν Νικαιᾳ ὡρισμενα.

provinciae synodum administrare debere secundum Nicaena decreta. Vides igitur heic non dioeceses, non novos fines, non nova jura ulli Episcopo assignari, sed solum decerni, ut fines cujusque dioecesis jam constituti serventur, uti egregie ante nos observavit Valesius (1): quod quidem tantum abest, ut Launojo faveat, ut potius ejus sententiam aperte oppugnet.

Tum pariter est falsum toto ferme quarto saeculo Metropolitanos a suae provinciae Episcopis ubique fuisse ordinatos. Etenim Alexandrinum Antistitem in tota Aegyptiaca dioecesi non modo Metropolitanos, sed reliquos quoque Episcopos ab antiquis usque temporibus consecrasse compertissimum est, auctore Binghamio Anglicano scriptore (2): nosque modo ex Epiphanio animadvertimus ante Constantinopolitana comitia alios praeter Alexandrinum in Aegypto Metropolitas fuisse. Idem quoque in Antiochena dioecesi factitatum tradit Innocentius I. ad Alexandrum Antiochenum scribens (3): *Arbitramur*, inquit,

---

(1) In *adnotat. ad lib.* V. *Socrat. cap.* 8.

(2) *Lib.* II. *Orig. Ecclesiast. cap.* 17.

(3) *Epist.* 24. apud Petrum Coustantium in *Tom.* I. *Epist. Romanor. Pontif.*

ut sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, ita ceteros non sine permissu, conscientiaque tua sinas Episcopos procreari; additque hoc privilegium una cum aliis Antiochenae Ecclesiae a Nicaenis PP. fuisse assertum: ex quo intelligas licet hunc morem non paullo ante inductum, sed saltem a Nicaenae synodi aetate invaluisse. Atque haec adeo clara, et perspicua sunt, ut quo se verteret non habens Launojus, eo tandem devenerit, ut diceret Alexandrinum, et Antiochenum Episcopum, uti et Romanum ante Constantinopolitanam synodum non fuisse, nisi meros ampliorum provinciarum Metropolitas; quod sane longe a vero abesse jam demonstravimus.

Quod denique opponunt Innocentium, et Hieronymum patriarchica jura a Nicaenis decretis derivantes errasse, nec bene rem expendisse; temere profecto est id dictum, ne gravius quid pronunciem: quo enim argumento sat probabili nobis hoc παράδοξον suadere poterunt? Nisi tamen existimare velimus, Innocentio qui et ante, et post oecumenicum Constantinopolitanum concilium floruit; nec non Hieronymo, viro rerum divinarum, et humanarum peritissimo, qui fortasse Constantinopoli morabatur illius concilii tempore, quique anno 382 Romam venit, ibique

Damasi Pontificis a secretis fuit, ea omnia latuisse, quae post tredecim saecula Launojus, ejusque sectatores compererunt, et vulgarunt. Qua quidem re nil magis absurdum excogitari potest; praesertim cum Innocentius, ut erat et ipse Patriarcha, ignorare nequiverit, an potestas quam in suam dioecesim exercebat, recentior esset, et paucis ante Pontificatum suum annis exorta (1).

Articulus 3.

Praecipua jura, ac privilegia Patriarcharum exponuntur.

Iura Patriarcharum praecipua, quae tamquam nativam eorum potestatem constituentia considerari queunt, ad tria ferme ex Petro de Marca (2)

(1) Cum argumentis levissimis, imo et nullius ponderis Launojana sententia fulciatur, mirabitur quis fortasse Dominicum Cavallarium magna vi, magnaque animi contentione in suis *Institutionibus Iuris Canon. Part. I. cap.* 10. eadem in medium producere conatum esse. Verum mirari is desinet, si advertat virum doctum tum Gallicanorum Scriptorum studio, tum nimia novas opiniones consectandi libidine transversum actum esse.

(2) *De Concord. Sac. et Imp. lib.* I. *cap.* 6.

Digitized by Google

revocantur, ad synodorum scilicet indictionem, ad Episcoporum ordinationem, et ad majorum caussarum disceptationem. Ac profecto a primis usque Ecclesiae aetatibus Patriarchas ex provinciis sibi subjectis synodos coëgisse accepimus. Hinc supra vidimus Polycratem Ephesinum altero a Christo saeculo concilium ex omnibus Asianis provinciis indixisse. Vixque orta Ariana haeresi, Alexandrinus Antistes Alexander ad eam comprimendam ex tota Aegypti dioecesi centum Episcoporum concilium convocavit (1). Porro cum jure Episcopos omnes dioecesis ad synodos vocandi alterum eosdem consecrandi erat conjunctum, ex receptissima veteri illa regula: *qui Episcopi pertinent ad consecrationem, pertinent et ad synodum.* Verum hac in re non una eademque obtinebat ubique disciplina. Episcopum enim Alexandrinum ex antiquissimo more, ut antea dictum, et Metropolitanos, et reliquos Aegypti Episcopos ipsummet consecrasse novimus; atque ex eo schisma Meletianum profectum, quod Meletius illius auctor per universas Aegypti provincias Episcopos ordinando omnia turbare

(1) *Socrat. lib.* I. *cap.* 6.

studuit, teste locupletissimo Theodoreto (1). Antiochenus autem Praesul Metropolitanos inaugurare contentus, ceteros Episcopos Metropolitanis consecrandos relinquebat; quod satis aperte ex Innocentio Pontifice erui posse videtur (2). Quod vero ad Romanum spectat Patriarcham, is viciniorum Metropolitarum, et Episcoporum consecratione sibi retenta, remotiores et Metropolitas, et Episcopos in synodis provincialibus initiari patiebatur; eo tamen pacto, ut sine sua scientia, et assensu Metropolitanos consecrare nefas esset, quemadmodum infra copiose per nos edisseretur. Praeterea Patriarcharum fuit majores caussas judicare; idque ratio ipsa suadebat. Nam cum illorum sedes veluti matres, ac magistrae circumjacentium regionum haberentur, in quas inde Evangelii lux propagata fuerat, conveniens omnino erat, ut si quando in hisce regionibus, ac provinciis gravius negotium ad fidem, disciplinamve attinens expediri oporteret, non alio, nisi ad easdem sedes confugeretur. Quamobrem grassante in Libya Sabelliana hae-

(1) *Lib. I. Histor. Eccles. cap. 8.*
(2) *Citat. epist. 24. ad Alexand. Antiochenum.*

Digitized by Google

resi medio tertio saeculo, Dionysius Alexandrinus Antistes suum esse censuit, ut concilio Episcoporum ejusdem regionis habito, eam pestem tollendam curaret; sicut supra ex Athanasio retulimus. Nec absimili pacto sub quarti saeculi initium cum gravium criminum arcesseretur Meletius Lycopolitanus in Thebaide Episcopus, non ab alio, quam a Petro Alexandrino ejus caussa cognita, ac definita est (1). Unde patet Chalcedonenses Patres, qui majores caussas Patriarchis reservarunt (2), non jus novum condidisse, sed vetustissimam consuetudinem firmasse. Porro reliqua Patriarcharum privilegia, cujusmodi sunt ab Episcoporum, et synodorum provincialium judicio appellationes suscipere, canones ad universam Ecclesiam spectantes Metropolitis, Episcopisque subjectis patefacere, enormium criminum sibi veniam reservare, et alia id genus, vel in tribus modo enunciatis comprehenduntur, vel deinceps iis accesserunt: quae quidem omnia apud Canonicae rei interpretes, atque imprimis apud Thomassinum (3), et eruditum auctorem *Dissertat.*

(1) Theodoretus *lib.* I. *cap.* 9. *Histor. Eccles.*

(2) *Act.* 14. et *can.* 9.

(3) *Vet. et Nov. Eccles. Discip. Part.* I. *lib.* I. cap. 9. *et lib.* II. *c.* 58.

de Patriarchis Romae an. 1776. editae abunde descripta, atque illustrata invenies.

Articulus 4.

Patriarcharum insigne pallium, *de cujus origine, et forma adversus P. de Marca disputatur.*

Patriarcharum proprium erat insigne illud ornamentum a Latinis *pallium*, a Graecis ωμοφοριον nuncupatum, quod sane plenissimam eorum circa sacra in suis dioecesibus potestatem denotabat. Id vero a Patriarchis Metropolitas in Oriente accipere solitos constat ex concilio oecumenico VIII. quod an. 869. Constantinopoli habitum est (1). At apud Latinos initio solus Romanus Pontifex pallium gestavit; quod deinde nonnullis primum Metropolitis honoris caussa, iis praecipue, quos vicarios suae potestatis sedes Apostolica in remotis Occidentis regionibus constituebat, communicatum fuit, postmodum vero omnibus Metropolitis concessum (2). Hujusmodi autem

(1) *Can.* 17.

(2) De Marca *de Concord. lib.* VI. *cap.* 7.

vestis origo antiquissima, sed incerta; quidam enim ab Apostolorum Principe, alii a B. Lino, alii vero aliunde eam arcessunt. Omnes tamen pallium ceu sacrum insigne agnoverunt usque ad Petri de Marca aetatem, qui primus, quod sciam, ex ficta Constantini donatione, quae apud Gratianum exstat (1), arguere se posse putavit, Romanos Principes condecorare Christi Sacerdotium cupientes, pallii usum, quod erat imperatorium indumentum, Patriarchis concessisse. Itaque si Archiepiscopum Parisiensem audiamus, pallium nihil aliud initio fuit, nisi profana splendida vestis, quae tamen temporis processu sacrum veluti ornamentum, et plenae potestatis pontificiae symbolum haberi coepit (2). Sed quia cernebat vir doctus, et perspicax argumentum ex Constantini donatione desumtum, quam ipsemet falsam existimabat, nullius plane ponderis apud sapientes homines futurum, alia excogitare sategit, quae probabilem suam opinionem facerent. Quapropter ex facto Anthimi Constantinopolitani, qui se Episcopatu abdicare coactus Iustiniano,

(1) *Can. Constantinus* 14. *Distin.* 66.
(2) *Lib.* VI. *Concordiae cap.* 6.

ejusque conjugi Theodorae pallium reddidit, auctore Liberato Diacono (1), ostendere conatus est Patriarchas ornatum illum a Principe dono accepisse. Quin et Patriarchis non licuisse pallium ad alios Episcopos mittere sine Imperatorum consensu ex eo probari optime posse duxit, quod non prius Auxanium Arelatensem Antistitem Vigilius Pontifex (2), et Syagrium Augustodunensem Gregorius Magnus (3) pallio insignire voluerunt, quam Iustiniani ille, Mauritii hic Principis veniam exoraret. Haec est summa argumentorum P. de Marca, quibus plurimos etiam e doctioribus in suam pertraxit sententiam.

Verum nihil plane solidi huic opinioni inesse (pace docti viri dixerim) facillime demonstratur. Nam nullus priscus auctor, genuinum monumentum nullum proferri potest, quo imperatorii usus indumenti Sacerdotibus permissus probetur. Tum veteres scriptores, qui de pallio Sacerdotali loquuntur, longe aliud a coccinea Principum chlamyde id statuunt; ac semper veluti sacram

(1) *Breviar. cap.* 21.

(2) *Epist.* 6. *ad Auxanium Arelat. Tom.* V. *Conc.* edit. Labb.

(3) *Lib.* IX. *epist.* 11. *ad Brunichildem Reginam.*

quamdam vestem, formamque diversam legentibus exhibent. Sic Acta Metrophanis Constantinopolitani apud Photium (1) referunt eum, postquam senio confectus, rogante Constantino M. successorem Alexandrum designaverat, pallium in sacra mensa deposuisse, ut successori traderetur. Igitur etiam regnante Constantino, quem primum pallium Patriarchis largitum esse arbitratur de Marca, inter vestes illud sacras recensebatur, pontificiaeque dignitatis symbolum ducebatur. Saeculo vero V. Isidorus monachus, et presbyter Aegyptius sacrum hujusmodi usum plane commonstrat, dum isthaec scribit (2): *Episcopi pallium, non e lino, sed e lana confectum, ovis pellem denotat, quam aberrantem quaerens Dominus in proprios humeros sustulit. Episcopus enim Christi typum gerens, illius munere fungitur, et omnibus ipso habitu ostendit, se boni, et magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates ferre voluit. Atque attende sedulo: cum enim verus ipse Pastor accedit, apertis*

---

(1) *Biblioth. Cod.* 256. Το ωμοφοριον τη ἁγιᾳ εναποτιθησι τραπεζῃ, εντειλαμενος αυτο φυλαττεσθαι τῳ διαδοχῳ.

(2) *Lib.* I. *epist.* 136. Το δε του Επισκοπου ωμοφοριον εξ εριας ον, αλλ᾽ ου λινου την τε προβατε δοραν σημαινει,

venerandis Evangeliis, et assurgit Episcopus, et imitationis vestem deponit. Ubi vides pallium et in sacra liturgia gestatum fuisse, et ideo e lana contextum, ut ovis, quam errantem supremus Pastor Christus invenit, et in humeros sustulit, pellem designaret. Idipsum quoque diserte colligitur ex epistola a Symmacho Pontifice ineunte saeculo VI. ad Theodorum Laureacensem Episcopum scripta, in qua de pallio ad eum transmisso haec leguntur (1): *Idcirco pallio, quod ex Apostolica caritate tibi destinamus, quo uti debeas secundum morem Ecclesiae tuae, solerter admonemus, pariterque volumus, ut intelligas quia ipse vestitus, quo ad Missarum solemnia ornaris, signum praetendit crucis, per quod scito te cum fratribus debere compati, et mundialibus illecebris in affectu*

ὅπερ πλανηθὲν ζητήσας ὁ Κύριος ἐπὶ τῶν οἰκείων ὤμων ἀνέλαβεν. Ὁ γὰρ Ἐπίσκοπος εἰς τύπον ὢν τȣ Χριστȣ τὸ ἔργον ἐκείνȣ πληροῖ, καὶ δείκνυσι πᾶσι διὰ τȣ σχήματος, ὅτι μιμητής ἐστι τȣ ἀγαθȣ, καὶ μεγάλȣ Ποιμένος, ὁ τὰς ἀσθενείας φέρειν τȣ ποιμνίȣ προβεβλημένος. Καὶ πρόσχες ἀκριβῶς· ἡνίκα γὰρ αὐτὸς ὁ ἀληθινὸς Ποιμὴν παραγίνεται διὰ τῆς τῶν Εὐαγγελίων τῶν προσκυνητῶν ἀναπτύξεως, καὶ ὑπανίσταται, καὶ ἀποτίθεται τὸ σχῆμα τῆς μιμήσεως ὁ Ἐπίσκοπος.

(1) *Epist.* 11. apud Labb. *Tom.* V. *Concil.*

crucifigi. Nec diversa tradit Gregorius Magnus, qui Leandro Hispalensi pallium mittens (1): *Praeterea*, inquit, *ex benedictione Beati Petri Apostolorum Principis* (2) *pallium vobis transmisimus, ad sola Missarum solemnia utendum.* Eademque fere repetit scribens tum ad Constantium Mediolanensem (3), tum ad Augustinum totius Britanniae Primatem (4). Sed nihil aptius, atque accommodatius ad rem propositam nobis videtur, quam Maximi Abbatis luculentum testimonium; qui medio circiter septimo saeculo in dialogo cum quodam Imperatoris ministro habito diversa esse Sacerdotis, et Principis munia probat, simulque diversa Sacerdotii, et Principatus insignia his verbis statuit (5): *Neque ba-*

---

(1) *Lib.* IX. *epist.* 121.

(2) Quod dicit heic Gregorius, pallium missum *ex benedictione Beati Petri*, haud absimile videtur formulae posteriori aevo usitatae, qua *a B. Petri corpore sumtum* dicitur. Quare haud scio an ritus nunc receptus consecrandi pallia antiquior sit, quam vulgo creditur.

(3) *Lib.* IV. *epist.* 1.

(4) Lib. XI. *epist.* 65.

(5) *Acta S. Maximi Abb.* quae praeponuntur ejus operibus Tom. I. Edit. Combef. Ουτε βαπτιζει, ουτε μυρου τελε-

ptismum dat (Princeps), *neque unguenti mysterium celebrat, neque imponit manum, et facit Episcopos, et Presbyteros, et Diaconos: nec ungit templa, neque insignia Sacerdotii gestat pallium et evangelium, sicut Regni ornamenta coronam et purpuram.* En quo pacto S. Martyr purpuream Imperatorum vestem a sacro Episcoporum pallio diserte distinguit. E quibus omnibus satis elucet pallium nihil quidquam cum imperatoria chlamyde commune habuisse.

Nec dicas cum de Marca Patriarcharum pallium longe ab eo palliolo discrepasse, quo in sacris mysteriis utebantur Graeci Episcopi; cujusque Isidorus Pelusiota, aliique meminerunt. Etenim nec vola prorsus hujus duplicis pallii, nec vestigium apud veteres occurrit; ac videtur unum e callidis effugiis, quae vir ille doctus, cum e gravi aliqua difficultate expedire se nequit, adhibere solet (1). Praeterea ut id de Graecis

---

την επιτελει, ουτε χειροθετει, και ποιει Επισκοπους, και Πρεσβυτερυς, και Διακονους· ουτε χριει ναους, ουτε τα συμβολα της ιερωσυνης επιφερεται, ωμοφοριον, και ευαγγελιον, ώσπερ της βασιλειας τον τε στεφανον, και την αλουργιδα.

(1) Ne quis me calumniam Cl. viro inferre putet, exemplum rei, quam dixi, ex *libro* VI. *cap.* 7. *Con-*

demus, de Latinis certe affirmari nequaquam potest, apud quos ipsemet de Marca fatetur unum pallium obtinuisse. At Latinum pallium sacram semper vestem fuisse, praeter epistolas Pontificum modo citatas, dubitare nos non sinit duplex descriptio pontificalium vestium, quibus indutum Leonis Magni corpus inventum est, cum semel atque iterum ex uno in alium Basilicae Vaticanae locum transferretur; altera nimirum sub Paullo V. anno 1607 a Iacobo Grimaldo confecta, altera sub Clemente XI. anno 1714. a Francisco Blanchinio, qui ambo testes oculati fuerunt. Ac profecto prior descriptio sic

---

cord. afferam. Ibi is contendit Galliarum Metropolitas, antequam a sede Romana omnes pallium petere juberentur (quod saeculo VIII. factum est), pallio Gallicano usos esse; atque ut novum hoc commentum tueatur, eo detorquet canonem 6. Concil. Matiscon. anni 581, quo decernitur, *ut Archiepiscopus sine pallio Missas dicere non praesumat*, quasi ille de singulis Metropolitis accipi debeat. Sed, ut advertit Thomassinus *Part.* I. *lib.* 2. *cap.* 54 *de vet. et nova Disc.* cum *Archiepiscopi* nomen ea aetate nondum Metropolitarum proprium evaserit, canon de eo tantum Metropolita, qui simul erat R. Pontificis in Gallia Vicarius, est intelligendus.

se habet: *Erat indutus pontificalibus indumentis, scilicet planeta, sive casula lata more antiquo ex purpura coloris castanei: manus habebat complicatas, et tegebantur a planeta, quae in ossa abierant...... Remanserat super humero dextero crux parva rubri coloris, quae erat pallii pontificalis: item aliam crucem paullo longiorem ejusdem pallii juxta pectus in parte dextera tenebat. In medio pectore conspiciebatur aurea una spinula pallii infixa planetae.* Haec Grimaldus apud Blanchinium (1), qui Grimaldi descriptioni inter alia ista addit: *Huic vero* (phanoni, vesti scilicet exteriori) *infixum fuisse pallium pontificale crucibus purpureis insignitum, uti in musivis Leoniani saeculi, et consequentium ostendunt summorum Pontificum imagines in Basilicis, et Titulis Romanis superstites, ostendit longior inaurata acus supra pectus conspecta tam a Grimaldo, quam a nobis.* Ex his descriptionibus discimus pallium Romanum medio saeculo quinto, idest centum, et quinquaginta annis ante Gregorium M. cujus aetate illud profanis vestimentis adnumeratum esse vult de Marca, unum

(1) In *notis ad Anastasium Tom.* III. *pag.* 159.

e sacris indumentis habitum fuisse. Parum autem refert, num pontificium pallium lanea olim fascia fuerit, non valde ab hodierno pallio diversa, quae per fibulas vesti exteriori adnectebatur, uti Blanchinius existimare videtur; an ampla et conspicua vestis ad talos usque extensa, cui plures erant intextae cruces, quemadmodum plures alii opinantur. Nobis sat est demonstrasse Latinum pallium, et Graecum ὠμοφόριον nunquam non fuisse sacrum illustriorum Ecclesiae Antistitum vestimentum, quo suprema illorum potestas significabatur, quodque purpureo Romanorum Imperatorum paludamento admodum erat dissimile.

At, inquit de Marca, Anthimus Constantinopolitanus Antistes jussus Episcopatum dimittere, Iustiniano pallium reddidit; quod utique argumento est, imperatorium donum illud fuisse. Cui nos respondemus, non ideo redditum fuisse ab Anthimo pallium, quia vestis erat imperatoria, sed quod dignitatis pontificiae symbolum erat, quam suffragante eo Principe consecutus fuerat. Atque ex eo factum est, plures ut Patriarchae, et Metropolitae detractione pallii Episcopatu spoliati sint, aut eo ultro abierint. Hoc sane pacto Macedonius saeculo VI. Constantinopolitanam sedem relicturus, ad quam invitus ab Imperatore Anastasio evectus fuerat, ab Ar-

chidiacono pallium sibi adimi jussit (1): nec non Macarius Antiochenus saeculo VII. (2), et Ignatius Constantinopolitanus saeculo IX. (3) detracto pallio Episcopatu dejecti sunt. Eademque de caussa Anthimus, cum patriarchica dignitate se abdicaret, Imperatori pallium tradidit, quod ejus dignitatis, ut e Maximo Abbate modo audivimus, signum habebatur.

At enim sine Imperatoris consensu Patriarchae aliis pallium dare nequibant, quemadmodum Vigilii, et Gregorii ostendunt epistolae; quod necessarium minime fuisset, si vestis non esset imperatoria. Nae si quid valeret ista argumentatio, toties quidem postulari Principum veniam opus fuisset, quoties ad aliquem Metropolitanum pallium mitteretur. Sed cur, rogo, in Oriente Patriarchae semper, insciis Imperatoribus, quantum accepimus, suos Metropolitas pallio honestarunt? Cur et in Occidente, si Auxanius tantum Arelatensis, et Syagrius Augustodunensis excipiantur, ceteri a Romanis Pontificibus sine ulla venia pallium accepisse traduntur? Cur denique ipse

(1) Theodorus Lector *Excerpt. lib.* 2.

(2) Synodus oecumenica VI. *Epistola synodica ad Agathonem.*

(3) Nicetas in *vita Ignatii Constantinopolitani.*

*

Gregorius Ioanni Ravennati, Dono Messanensi, Ioanni Syracusano, Maximo Salonitano, Andreae Nicopolitano, Ioanni Corinthiorum Episcopo, et aliis, quos ipsius epistolae memorant, pallium misit, nec tamen Imperatorem consulere necessarium duxit? Itaque longe alia Vigilio, longe alia Gregorio fuit caussa, quamobrem in hujusmodi re aliquando Principis voluntatem exquirere voluerint. Nec vero isthanc caussam investigare operosum est, si quibus temporibus eo pacto se gesserint, attendamus. Enimvero dum Auxanium Episcopum Arelatensem suum in Gallia Vicarium Vigilius creavit, pallioque ornavit, tamquam vicariae potestatis signo, interea grave bellum gerebat Iustinianus cum Gothis Italiae Regibus, quorum imperio parebat etiam Arelatensis provincia: Galliam vero maxima ex parte tunc tenebant Franci, gens fera, ac bellicosa. Quare verens Pontifex, ne Iustinianus suspicaretur Episcopum Arelatensem, qui ut Apostolicae sedis legatus summa apud omnes Galliae populos auctoritate pollebat, ad Gothorum societatem Reges Francos pertrahere velle, prudentissimo sane consilio de ea re Imperatorem consulendum statuit. Neque is Vigilii metus vanus, atque inanis existimari poterat: probe enim meminerat, quot calamitates ob conjurationis cum Gothis initae suspicionem perpessus

fuerat Silverius ejus decessor (1). Atque id ne temere asserere videar, testis mihi prodeat ipse Vigilius, qui in citata epistola ad Auxanium, postquam illi suasisset, ut pro Iustiniani, et Theodorae uxoris felicitate D. O. M. precaretur, vehementer hortatus est, ut inter Imperatorem, et Childebertum Galliae regem pacem, concordiamque foveret: *Hortamur quoque*, inquit, *ut sacerdotali opera inter gloriosissimum virum Childebertum regem, sed et antedictum clementissimum principem conceptae gratiae documenta paterna adhortatione servetis. Bene enim Domini, et Salvatoris nostri, quae populis praedicamus, mandata ante oculos retinemus, quibus ait:* » Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. » De Gregorio vero idem ferme judicium ferendum videtur. Nam quo tempore Syagrius Augustodunensis, Brunichilde Francorum regina rogante, vicariam Pontificis potestatem in majorem Galliae partem cum pallio consecutus est, Longobardi gens ferox, potensque Italiae universae dominabantur, nonnullis locis exceptis praesertim mari proximis, quae cum agro Romano Imperatori parebant. Deinde ut Romanorum opes senescere, ac debilitari paullatim

(1) Procopius *de Bello Goth. Lib.* I. *cap.* 25. Anastasius in *vita Silverii.*

videbantur; ita rursus Francorum potentiam quotidie magis crescere, atque augeri inter omnes constabat. Ne igitur Princeps suspicax Mauritius putaret Romanum Pontificem magnam eo beneficio a Francorum regibus gratiam inire studere, atque ita urbi Romae adversus Longobardos, qui eam armis vexabant, validum praesidium parare; Gregorius certiorem de tota re prius illum facere voluit. Sed quid diutius hujusmodi argumento immoror, cum oppugnandae Parisiensis Archiepiscopi opinioni satis esse queant vel solae ipsius Gregorii epistolae? Etenim pallium, quod Gregorius ubivis in suis epistolis, uti supra vidimus, veluti sacrum, et *ad sola Missarum sollemnia utendum* praedicat, ille contra hujus Pontificis aetate profanam, et splendidam vestem fuisse contendit. Ac de pallio haec dixisse sufficiat: quare ad alia properemus oportet.

CAPUT II.

De antiquis Romani Patriarchatus finibus diversae exponuntur sententiae. Ad solidum Occidentem pertinuisse ostenditur.

Postquam in superiori capite de Patriarcharum nomine, origine, et privilegiis, quae ad nostrum propositum necessaria videbantur, breviter per-

secuti sumus; agedum ad illud, cujus gratia totam hanc tractationem suscepimus, ad veteres scilicet Romani Patriarchatus terminos statuendos gradum faciamus. Ac primum quid de hac re recentiores Eruditi sentiant, expendendum videtur. Nam quamvis inter omnes conveniat sequioribus Ecclesiae saeculis patriarchicae R. Pontificis potestati omnes Occidentis regiones subjectas fuisse, quod etiam Graeci canonum interpretes Zonaras, Balsamon, ceterique ex eadem gente Latinis vel infensissimi ultro agnoscunt; valde tamen, quod ad priores aetates spectat, inter se docti viri digladiantur, aliique alia opinantur. Quin et uberrimam dissidiorum materiam praebuit canonis VI. Nicaeni edita a Rufino interpretatio. Is enim, quod Nicaeni Patres reticuerunt, de suo addens canonem sic expressit: *Ut apud Alexandriam, et in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat* (1). Ex quo factum est, ut gravissima enata sit quaestio, quaenam fuerint *suburbicariae Ecclesiae*, quas Romano Patriarchatui Rufinus attribuit. Quare intra centesimum ab Urbe lapidem illas coërceri autumavit primum

(1) *Lib.* II. *Hist. Eccles. cap.* 6.

Iacobus Gothofredus (1), dein Claudius Salmasius (2), ambo e Calvinistarum grege; quos adeo strenue refutavit Iacobus Sirmondus (3), ut dignas impudentiae suae dederint poenas. Alii vero cum P. de Marca (4). Dupinio (5), et Dughe-

(1) *Conjectura de suburbicariis regionibus, et Ecclesiis*, in duas dissertationes tributa.

(2) *Epist. amici ad amicum de regionibus, et Ecclesiis suburbicariis.*

(3) *Censura conjecturae Anonymi Scriptoris de suburbicariis regionibus, et Ecclesiis*; tum *Adventoria adversus epistolam amici ad amicum de suburbicariis* etc.

(4) Vulgo hic Auctor iis adnumeratur, qui R. Pontificem totius Occidentis Patriarcham exstitisse censent; siquidem *lib.* I. *Concord.* c. 5. aperte id ipsum asseverat. At quoniam seqq. capitibus e tribus juribus patriarchicis, quae statuit, nimirum synodorum indictione, Episcoporum ordinatione, et majorum caussarum decisione, duo priora intra provincias suburbicarias concludit, tertiumque tantum in reliquas Occidentis dioeceses Pontifici relinquit; haud immerito nobis in eamdem cum Dupinio sententiam conspirare videtur. Nam postremum jus, quod ex eodem de Marca situm est in legibus condendis, et in synodorum relationibus excutiendis, quae ad dubias fidei, et disciplinae caussas pertinent, est sane ejusmodi, ut illud non in solius modo Occidentis, sed in totius quoque Orbis regiones Pontifex exerceat.

(5) *De antiqua Ecclesiae disciplina Dissert.* I. §. 11.

tio (1) paullo liberaliores Romano Pontifici assignant decem provincias suburbicarias, quae Vicario Romae suberant, idest Picenum suburbicarium, Campaniam, Thusciam et Umbriam, Apuliam et Calabriam, Brutios et Lucaniam, Samnium, Valeriam, Siciliam, Sardiniam, et Corsicam. Quamplurimi demum patriarchicam hanc potestatem per totum Occidentem patuisse affirmant: quos inter eminent Sirmondus (2), Morinus (3), Valesius (4), Thomassinus (5), Pagius (6), N. Alexander (7), Allatius (8), Schelestratius (9), et Bacchinius (10). Horum plures post Sirmondum

---

(1) *Confer. Ecclesiast. Dissert.* 58.

(2) *Censura Dissert.* II. *conjecturae de suburbicariis regionibus cap.* 4. Et *Adventoria adversus epist. amici ad amicum* etc. *part.* II. *cap.* 5.

(3) *Exercitat. Ecclesiast. lib.* I. *Exercit.* 6 et 30.

(4) *Observat. Eccles. lib.* III. cap. 7.

(5) *De Vet. et Nov. Eccles. discip. Part.* I. *lib.* I. *cap.* 8.

(6) *Critica Baronii* an. 325.

(7) *Histor. Ecclesiast. saec.* IV. *Dissert.* XX.

(8) *De Eccl. Occident. et Orient. consensu lib.* I, *cap.* 9.

(9) *Antiquit. Eccles. illustr. Tom.* II. *Dissert.* VI. *cap.* 3. *et* 4.

(10) *Dissert. de Eccles. Hierarch. orig.*

putant Rufinum *suburbicarias* appellasse omnes Occidentis Ecclesias, utpote quae Urbis Antistiti parerent: alii cum Allatio nihili faciunt Rufini interpretationem, ajuntque concilium Nicaenum nec de regionibus suburbicariis locutum esse, neque ullos Romani Patriarchatus fines praescripsisse. Nos missa controversia, quidnam *Ecclesiarum* nomine *suburbicariarum* acceperit Rufinus, postremam hanc sententiam maxime omnium receptam ita omni argumentorum genere ex priscis monumentis petito muniemus, ut eam non modo probabilem, sed etiam certam esse (absit verbo invidia), atque veram demonstremus. Atque ut omnis vocum ambiguitas prorsus tollatur, patriarchicam R. Pontificis auctoritatem, quam per cunctas Occidentis provincias semper patuisse asserimus, non lata quadam ratione, quemadmodum facit de Marca, heic sumimus; hoc enim pacto accepta per Orientem quoque, ubi alii erant Patriarchae, protendebatur: sed stricto intelligimus sensu, ut scilicet jus etiam Episcopos initiandi, ac synodos indicendi in iisdem regionibus comprehendamus. Quod ut facilius, et meliori ordine praestetur, primo ea antiqua monumenta producemus, quae totius Occidentis dioeceses Pontifici ut Patriarchae obtemperasse universe, ac

generatim ostendunt: deinde singulas ipsas dioeceses percurrentes ea veterum testimonia proferemus, quae in illas Apostolicam sedem patriarchica jura exercuisse singillatim declarant.

Articulus I.

Patriarchatum Romanum ad omnes Occidentis dioeceses pertigisse generatim demonstratur.

Inter cetera argumenta illud principem locum teneat, quod nobis suppeditat Innocentius Pontifex disertis verbis ad Decentium Eugubinum initio saeculi V. scribens (1) esse *manifestum in omnem Italiam, Gallias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerint Sacerdotes.* Haec enim semper in Ecclesia servata est disciplinae ratio, ut si ex aliqua majore, et clariore urbe in vicinas provincias, atque urbes Christiana fides dimanaret, illa harum veluti

(1) *Epist.* 25. apud Petrum Coustant. *Tom.* I. *Epistol. Rom. Pontificum.*

parens haberetur, haeque rursus ceu filiae illi subessent. Unde fiebat, ut cum in vicinis hisce Ecclesiis vel Episcopi creandi erant, vel controversiae dirimendae, vel aliud gravius agendum, majorem sedem adirent, ab ejusque nutu penderent. Quapropter ubi ex Antiochia in Parthorum, vel Persarum regionibus fides disseminata fuit, constitutaeque Ecclesiae, statim in eas exarchica dignitate potitus est Antiochenus Antistes, uti ex Ecclesiastica historia est compertum. Ita quoque Abyssinorum, sive Aethiopum Patriarcha evasit Alexandrinus Episcopus, postquam ab ejus sede illi Evangelium, et Sacerdotes acceperunt. Eodemque pacto illata Russis nono saeculo e Constantinopolitana sede Evangelica luce, per plures aetates hujus urbis Patriarchae illos paruisse scimus (1). Ergo idem judicium faciendum de Italia, Gallia, Hispania, Africa, aliisque locis, in quibus, teste locupletissimo Innocentio, non fuere nisi a Romana sede fundatae Ecclesiae. Et sane, si secus se res habuisset, in Occidentis regionibus dumtaxat Metropolitani αυτοκεφαλοι fuissent, cum in Oriente suo quisque Metropolitanus Patriar-

(1) Adisis Lequienium in Opere, cui titulus *Oriens Christianus.*

chae obtemperaret. Sed quis sibi persuadere poterit, solos Episcopos Galliae, Hispaniae, superioris Italiae etc. ut adversarii volunt, ab ea Apostolica lege immunes fuisse, per quam, auctore Leone M. superius citato (1), *magna ordinatione provisum est, ut essent in singulis provinciis* Metropolitae, et *in majoribus urbibus* Patriarchae? Quî vero poterat de tota Ecclesia Pontifex id universe affirmare, si in Orientis modo, non item in Occidentis dioecesibus locum habuisset?

Alterum nobis argumentum praebet Gelasius Cyzicenus: is enim in Episcoporum indiculo, quibus negotium datum est, ut Nicaena decreta in Ecclesiis sibi subjectis promulgarent, initio narrat Romani Pontificis legatis, Osio Cordubensi, et presbyteris Vitoni, et Vincentio mandatum esse, ut ea denunciarent *Romae, Italiae, Hispaniae universae, et reliquis nationibus ulterius usque ad Oceanum commorantibus.* E quibus verbis, quae etiam praecedenti capite recitavimus, apparet non modo provincias suburbicarias cum reliqua Italia, sed etiam Hispaniam, Galliam, et Britanniam patriarchicae jurisdictioni summi Pontificis subditas fuisse. Nec

(1) *Epist.* 84. *ad Anastasium Thessalonic.*

dicas his regionibus praefuisse Pontificem, ut supremum Ecclesiae caput: nam praeterquamquod ea de caussa solus Romanus Antistes, et nemo alius Nicaenos canones toti Ecclesiae patefacere debuisset, ex ipso Gelasio aperte constat, Patriarchis tantummodo, aut clarioribus Metropolitis id muneris delatum esse. Deinde haud novum, atque insolens, quod narrat heic Cyzicenus, censeri debet: scitissimum est enim Patriarcharum semper fuisse, ut de novis synodorum decretis, novisque legibus suas provincias commonefacerent. Quare Iustinianus (1): *sanctissimi*, ait, *Patriarchae uniuscuiusque dioeceseos haec proponant in Ecclesiis sub se constitutis, et manifesta faciant Deo amabilibus Metropolitis nostra decreta*.

Praeterea ad id probandum afferri solet Basilii Magni ad Gregorium Theologum epistola, in qua cum de της δυτικης *Occidentis* Episcopis questus esset, subdit: *ego autem ipse ad eorum Coryphaeum volebam epistolam mittere*; quo

(1) *Novel.* VI. sub finem: οἱ μενου ἁγιωτατοι Πατριαρχαι διοικησεως ἑκαστης ταυτα προθησουσιν εν ταις ὑφ᾽ ἑαυτους ἁγιωταταις Εκκλησιαις· δηλα δε ποιησαι τοις θεοφιλεστατοις Μητροπολιταις τα παρ᾽ ἡμων διατεταγμενα.

quidem nomine Romanum Pontificem designat (1) Affertur etiam Augustini locus adversus Iulianum scribentis, ubi postquam PP. Latinorum testimonia illi objecit haeretico, sic eum urget (2): *An ideo contemnendos putas, quia occidentalis Ecclesiae sunt omnes?......Puto tibi eam partem Orbis sufficere debere, in quâ primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronari. Cui Ecclesiae praesidentem beatum Innocentium si audire voluisses* etc. quibus sane verbis diserte Ecclesiae Occidentis Romanum Episcopum praesidere asserit. His tamen locis me non fugit, quid respondeat Dupinius (3); qui inde id tantum colligi posse putat, Apostolicae sedis Antistitem esse praecipuum inter Occidentis Episcopos. Sed ut demus Basilii verba sic posse commode explicari; quî, quaeso, Augustinum eodem pacto interpretari licebit, cum is non *principem*, non *coryphaeum*, sed *praesidentem* Occidentis Innocentium aperte dicat? Nam *praesidere* non ordi-

---

(1) *Epist.* 10 Edit. Maur. *Εγω μεν γαρ αυτος εβουλομην αυτων επιστειλαι τῳ Κορυφαιῳ.*

(2) *Lib.* I. *cap.* 4. *adversus Iulianum.*

(3) *Citat. loco.*

nem, sed potestatem denotat; quae quidem cum ab ea generali distet, per quam Christi gregem per universum Orbem dispersum regit, ac moderatur Pontifex, non alia nisi patriarchica esse potest.

Nec minoris roboris testimonium videtur Hieronymi, qui solidum Occidentem sedis Apostolicae Patriarchatui attribuit. Etenim Vigilantium coelibatus hostem infensissimum refellens, totam Ecclesiam in tres partes dispertitur, easque omnes Clericos coelibes, aut continentes habere sic docet (1): *Quid facient Orientis Ecclesiae? Quid Aegypti, aut sedis Apostolicae, quae aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes?* Haec autem Hieronymi verba cum sint manifesta, misere tamen ad suam opinionem detorquet Dupinius; aitque Ecclesias sedis Apostolicae non alias accipiendas, nisi suburbicarias, cum minime indicetur, quousque pateant. At non videt ille Theologus se, quo suam tueatur sententiam, ineptissime ratiocinantem tantum Doctorem exhibere. Nam cum ex Dupinii mente Hieronymiana partium enumeratio non sit absoluta, desintque fere omnes Occidentis Ecclesiae; facile opponere pot-

(1) *Lib. adversus Vigilantium.*

erat Vigilantius, argumentum ex Christifidelium consensione desumtum parum, aut nihil valere, quippe quod in hoc numero dimidius ferme Orbis terrarum haud comprehenderetur. Porro Domin. Cavallarius licet in Patriarchatus Romani terminis constituendis Dupinio assentiatur, aliam tamen iniens viam, qua tot gravium testimoniorum vim eludat, de eminenti illa potestate veteres Patres locutos existimat, quae in condendis legibus ad fidem, et disciplinam confirmandam, et in majoribus caussis finiendis versabatur (1). Sed jam supra observavimus huiusmodi potestatem haud ita intra Occidentis fines conclusam fuisse, ut Orientis quoque dioeceses non complecteretur. Quare nil erat, quod ob eamdem potestatem veteres ii Patres Occidentem peculiari ratione sedi Romanae addicerent.

Verum missis his, aliisque similibus veterum locis, quae quia γενικως dumtaxat de Pontificis jure in Occidentis provincias loquuntur, nec quale illud fuerit, declarant, ideo flocci facere consueverunt adversarii; excutienda nunc ea monumenta arbitramur, quae Romano Antistiti

(1) *Institut. Iur. Canon. Part.* I, *cap.* 10.

indicendi synodos, initiandique Episcopos in iisdem provinciis facultatem diserte vindicant. Atque ut a synodorum indictione ordiamur, primo nobis occurrit epistola synodica Romani concilii ab Agathone Papa adversus Monotheletas habiti, quae in synodo VI. oecumenica lecta fuit, cum hac inscriptione (1): *Agatho Episcopus servus servorum Dei cum omnibus synodis ad Apostolicae sedis synodum pertinentibus.* Mox eadem epistola docet Episcopos, e quibus illae synodi sunt conflatae, *ad Oceani usque fines exporrigi, ad Occidentem, ac Septemtrionem habitare, inter Longobardos, et Sclavos, inter Francos, Gothos, ac Britannos versari* (2); videlicet per Italiam, et Illyricum, per Galliam, Hispaniam, Britanniamque diffusos esse, sive quod idem est, per cunctas Occidentis nationes. Ro–

(1) *Action.* 4. Αγαθων Επισκοπος δουλος των δουλων τȢ Θεου συν πασαις ταις συνοδοις ταις ανηκουσαις τῃ συνοδῳ τȢ Αποστολικου θρονου.

(2) *Ibidem.* μεχρι των κλιματων τȢ Ωκεανȣ εκτεινεσθαι, εντε τοις δυτικοις, και αρκτῴοις μερεσι τυγχανειν, εν μεσῳ των εθνων, των τε Λογγοβαρδων, και Σκλαβων, ου μεν αλλα και Φραγκων, Γοθων, και Βρεττανων ειναι. Tom. VII. *Concil.* edit. Labbè.

manum ergo concilium, cui aliae synodi adjungebantur, ex universis his provinciis indictum esse, ac propterea omnes eas patriarchicae Romanae sedis jurisdictioni fuisse subjectas nequaquam est in dubium revocandum. Etenim nil plane video, quod ad haec respondere queant adversarii, nisi id unum; desinente saeculo septimo, cum Agatho scribebat, jam per cuncta Occidentis regna Romanum proferri coepisse patriarchatum, minime vero idem obtinuisse priori Ecclesiae aetate, qua valde angustis limitibus ille terminabatur. Quid si igitur ostendemus ducentis, et quinquaginta ante isthaec Agathonis comitia annis aliam quoque Romanam synodum sub Caelestino I. adversus Nestorium habitam totius Occidentis concilium exstitisse? Profecto id prodit Ephesini concilii oecumenici epistola ad Theodosium missa, in qua Caelestini legati dicuntur *totius Occidentis synodi sententiam exposuisse* (1). Tum Philippus presbyter Apostolicae sedis legatus expresse ait Nestorium omnium Orbis Ecclesiarum consensione damnatum : *nam orientalis, atque*

(1) *Synodica epist. Ephes. concil. ad Theodosium Imperat.* την γνωμην πασης της κατα δυσιν ἁγιας συνοδυ φανεραν πεποιηκεναι. *Tom.* III. *Concil.*

occidentalis Ecclesiae Sacerdotes vel per se, vel certe per suos legatos sacerdotali huic comitio intersunt (1). Itaque si Pontificis legati ex Ephesinorum Patrum mente *totius Occidentis concilii sententiam exposuerunt*, omnino dicendum videtur aut aliquos ex omnibus Occidentis regionibus Episcopos Romam ad concilium convenisse, ut sub Agathone factum; aut certe Romanae synodi decreta per universas illas Ecclesias perlata summa consensione fuisse probata. Quod sane utrumque nil aliud significat, nisi Occiduam terram, quanta quanta erat, cum Romana urbe unam patriarchicam dioecesim, unumque ob eamdem caussam concilium constituisse. Nam si secus res fuisset, haud per Romani Pontificis legatos quid sentirent, declarassent Afri, Galli, Hispani, et Illyrici Episcopi, sed ipsi per se, vel per legatos suos Orientali concilio adfuissent. Quis enim pontificios legatos ad oecumenica concilia de Ecclesiarum

---

(1) *Action. 3. Ephes. Conc.* επειδη συνεστηκασιν εν τουτῳ τῳ ἱερατικῳ συλλογῳ δια τε συμπαροντων, δια τε των πρεσβευτων, των απο της ανατολικης τε, και δυτικης Εκκλησιας οἱ παροντες ἱερεις.

Orientis fide, quae Romanae dioecesi non suberant, retulisse unquam audivit?

Quod si Caelestino vetustius exemplum quaeratur, ecce tibi Liberii Pontificis synodicae literae ad Orientis Episcopos anno circiter 366. missae, quae sic inscriptae erant ex Socrate: *Liberius Episcopus, et Occidentis Episcopi* οἱ κατα την δυσιν Επισκοποι *salutem* (1). Eae autem complectebantur non modo, quae a Romano concilio, verum etiam quae ab Italis, Afris, Gallis, et Siculis erant decreta de fide contra Arianos, quemadmodum narrat Sozomenus; sic enim scribit (2): *Cum eo tempore synodus Tyanensis haberetur. . . . . . lectae sunt Liberii, et occidentalium literae. Atque ob id gaudentes omnibus Ecclesiis scripserunt, ut perlegerent Episcoporum Occidentis decre-*

(1) *Lib.* IV. *cap.* 12.

(2) *Lib.* VI. *cap.* 12. Κατ' εκεινον δε τον χρονον συνοδου αγοντων εν Τυανοις....αναγινωσκεται τα Λιβεριου, και των ανα την δυσιν γραμματα. Περιχαρεις τε επι τουτοις γενομενοι εγραψαν πασαις ταις Εκκλησιαις εντυχειν τοις ψηφισμασι των ανα την δυσιν Επισκοπων, και τοις Λιβεριου γραμμασι, και Ιταλων, και Αφρων, και Γαλατων των προς δυσιν, και Σικελων.

ta, *et literas Liberii*, *atque Italorum*, *et Afrorum*, *et Gallorum*, *et Siculorum*. Quin et aliud praesto est antiquius Liberio exemplum, saeculo nempe tertio sub Cornelio Papa. Eum enim literas scripsisse ad Fabium Antiochenum auctor est Eusebius, in quibus erant *tum acta synodi Romae habitae* (contra Novatiani errorem), *tum quae ab omnibus in Italia*, *in Africa*, *inque aliis provinciis de eo errore statuta sunt* (1): additque idem historicus extremae epistolae Episcoporum cunctorum subscriptiones adjectas fuisse. Hujusmodi porro Cornelii, et Liberii epistolae parum ab Agathonis synodica paullo ante memorata discrepabant: siquidem praeter Romanam, synodos quoque superioris Italiae, Africae, aliarumque Occidentis regionum continebant. Nec vero ulla erat caussa, quamobrem cunctarum illarum synodorum decreta literis pontificiis insererentur, nisi ad Apostolicae sedis concilium, uti modo observavimus, tertio,

(1) *Lib*. VI. *Hist. Eccl. cap*. 43. Ηλθον δ' ουν εις ημας επιστολαι Κορνηλιε Ρωμαιων Επισκοπε προς τον της Αντιοχεων Εκκλησιας Φαβιον, δηλεσαι τα περι της Ρωμαιων συνοδε, και τα δοξαντα πασι τοις κατα την Ιταλιαν, και Αφρικην, και τας αυτοθι χωρας.

et quarto saeculo eaedem synodi pertinuissent.

Verum et illud animadvertendum remur Romana concilia, etsi ex Episcopis provinciarum Urbi propiorum constabant, neque ad illa longinquiorum regionum Episcopi vel per se, vel per legatos suos accedebant, semper tamen veluti totius Occidentis concilia existimata fuisse. De hac re dubitare nos non sinit concilii Italici epistola an. 381. ad Theodosium Imperatorem scripta, cujus initium *Sanctum animum tuum;* in ea enim concilii Patres postquam dixerunt Maximum a Constantinopolitana synodo Episcopatu Regiae urbis dejectum, *jure, et more majorum* ad Romanam synodum provocasse, haec addunt: *sicut et sanctae memoriae Athanasius, et dudum Petrus Alexandrinae Ecclesiae Episcopi, et orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiae Romanae, Italiae, et* TOTIUS OCCIDENTIS CONFUGISSE JUDICIUM *viderentur* (1). Nil autem est hoc testimonio ad rem nostram accommodatius. Certe cum Iulius Athanasium Alexandrinum suae sedi restituit, vel alii Romani Pontifices eorum, qui ad se confu-

(1) *Tom. II. Concil.*

giebant, caussas iterum cognoverunt, haud Galliae, Hispaniae, atque Africae Episcopos Romam acciverunt, neque horum per literas sententiam rogarunt, sed nonnullos tantum Italiae Episcopos ad concilium vocare sat habuere; attamen eorum sententia totius Occidentis judicium habitum fuit: idque non Romanus Pontifex, non unus aut alter Italiae Episcopus affirmat, sed frequens Italorum Antistitum concilium ad ipsum Imperatorem scribere minime veretur. Quod procul dubio haud fecisset, nisi exploratum, compertumque ea aetate esset, occidentales omnes Episcopos ad Romanam synodum pertinere.

Quod autem ad jus Episcopos, ac praesertim Metropolitanos initiandi attinet, id quidem in cunctas Occidentis dioeceses Romano Pontifici fuisse, praeter plura, quae infra afferentur, ubi ad singulas dioeceses devenerimus, vel ex eo liquet, quod modo de synodos indicendi facultate ostendimus, secundum illud tritum: *Qui Episcopi pertinent ad consecrationem, pertinent et ad synodum.* Sed et alia ratione licet hanc rem probare, quod scilicet in toto Occidente Episcopi, maximeque Metropolitani non poterant, nisi a sede Apostolica, vel ab iis, quos illa judices dabat, condemnari; idque ex altera regula jure canonico

confirmata : *qui aliquem ordinare non potuit, nec judicare potest* (1). Quod vero a sede tantum Apostolica puniri poterant Occidentis Episcopi, et praecipue Metropolitani, certissimum documentum habemus ex epistola concilii Romani sub Damaso habiti anno circiter 378. ad Gratianum, et Valentinianum Imperatores. Ibi enim concilii Patres postquam a Principibus petierunt, ne Episcopos a sede Romana damnatos, et dignitate privatos impune Ecclesias retinere paterentur, sic prosequuntur (2): *Quaesumus clementiam vestram, ut jubere pietas vestra dignetur, ut quicumque vel ejus* (Damasi), *vel nostro judicio, qui catholici sumus, fuerit condemnatus, atque injuste voluerit Ecclesiam retinere, vel vocatus a sacerdotali judicio per contumaciam non adesse, seu ab illustribus Viris Praefectis praetorio Italiae vestrae, sive a Vicario accitus ad urbem Romam veniat; aut si in longinquioribus partibus hujusmodi emerserit quaestio, ad Metropolitani per locorum judicia deducatur examen; vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessario, vel ad eos, quos Romanus*

(1) *Cap.* 3. Nullus *tit. de Parochiis.*
(2) *Tom.* II. *Concil.*

Episcopus judices dederit, contendere sine dilatione jubeatur. Quae quidem verba apertissime indicant, ut provinciales Episcopi suorum Metropolitanorum judicio suberant, ita Metropolitanos ipsos Romani Pontificis judicium necessario subire debuisse. Ac ne quis novum hoc fuisse, et injustum postulatum contendat, considerare omnino oportet, non Damasum solum Romanae urbis Praesulem id postulasse, verum omnes Italiae Sacerdotes in synodo congregatos; quos certe aliena jura attentare voluisse, ut Pontifici gratificarentur, nonnisi temere, et injuria existimaveris. Ad haec Gratianum Imperatorem religiosissimum hujusmodi postulatis benigne annuisse ex ejus Rescripto ad Aquilinum urbis Vicarium patet (1): at profecto minime tam facilem, atque indulgentem Romano Antistiti se praebuisset, nisi legitima illius, et vetera jura esse, quae postulabantur, comperisset.

Unum tamen adhuc a morosis adversariis opponi posse videtur, Metropolitanos, quorum in concilii Romani literis fit mentio, eos tantum accipiendos, qui in provinciis erant suburbicariis,

---

(1) *Eodem Tom.* II. *Concil.*

Quorum objectum facile erit dissolvere, si attendamus in laudata epistola Patres de *longinquioribus* etiam *partibus*, idest ultra Italiam positis, verba facere, atque inter contumaces Episcopum Africanum quoque adnumerare. Deinde Gratianus in suo Rescripto non modo Praef. Praet. Italiae, sed etiam Praef. Praet. Galliae, et Proconsules, quae decreverat, exsequi his verbis jubet: *Volumus.... ut qui evocatus ad sacerdotale judicium per contumaciam non ivisset, aut ab illustribus viris Praefectis Praetorio Galliae, atque Italiae, sive a Proconsulibus, et Vicariis auctoritate adhibita, ad episcopale judicium remittatur, vel ad urbem Romam cum prosecutione perveniat* (1).

Ceterum quod volunt adversarii, in Occiduis

(1) Dupinius *Dissert.* II. *de antiq. Eccles. discipl. cap.* 1. §. 4. hanc Gratiani legem nunquam usu receptam, imo ne promulgatam quidem fuisse putat. Sed nos haud valde sententiam hujus scriptoris moramur, qui varia comminisci solet, ut eorum testimoniorum vim infirmet, quibus se nimis urgeri sentit; eique P. de Marca, auctorem minime suspectum, opponimus, qui *lib.* VII. *Concordiae cap.* 11. eamdem legem in usum deductam docet.

Digitized by Google

regionibus, si provincias suburbicarias excipias, Metropolitanos alicujus criminis reos a suae provinciae Episcopis, inconsulto Romano Pontifice, damnatos fuisse, praeterquam quod falsissimum est ob ea, quae modo dicta sunt, et alia plura, quae postea dicentur, etiam id priscis Ecclesiae Graecae moribus repugnat. Et re quidem vera in toto Oriente Patriarchis tantum in delinquentes Metropolitanos, non item provinciae Episcopis animadvertere licebat. Ipsi vero Patriarchae tantum aberat, ut per suae dioecesis synodum e sede expelli possent, ut ne Episcoporum quidem alienae dioecesis judicio sine Romani Pontificis auctoritate subderentur. Quapropter Iulius Papa graviter Eusebianos reprehendit, quod Athanasium Alexandrinum coacta synodo e sua Ecclesia ejicere ausi fuissent, quin prius Romanam sedem ex Apostolica traditione de ea re consulerent; ut ejus ad orientales bene longa epistola docet, quam nobis integram exhibuit Athanasius (1). Praeterea cum scissa Antiochena civitate in duas partes, Eustathianorum scilicet, et Meletianorum, quarum utraque suum Episcopum habe-

(1) *Apolog. contr. Arian.*

bat, ad hoc tollendum schisma, auctore Siricio Pontifice, Capuae anno 391. celebratum esset concilium, neque ob Flaviani absentiam, qui Meletianis praeerat, res perfici potuisset; ab eodem concilio datum est negotium Theophilo Alexandrino, ut cum Aegypti Episcopis hanc litem componeret, simulque is fuit monitus, ut de lata sententia ad Romanam sedem referret: quemadmodum ex Ambrosii epistola ad Theophilum post synodum Capuanam scripta colligere datur (1). Deinde postquam de nefaria Nestorii Constantinopolitani haeresi Romam nuncius pervenit, Caelestinus Pontifex statim anno 430. convocato concilio eum damnavit, decrevitque ut si idem in tuendo suo errore persisteret, Ecclesiae communione, atque episcopali dignitate privaretur; eodemque tempore Cyrillum Alexandrinum per literas Vicarium suum constituens, ei praecepit, ut illud decretum Nestorio denunciaret, et si parere nollet, alium Antistitem Constantinopolitanae Ecclesiae praeficiendum curaret (2): quo sane prudenti consilio cavit, ne

(1) *Epist.* 56. edit. Maur.

(2) *Epist.* 11. *ad Cyrillum* apud P. Coustant. *Tom.* I. *Epist. Rom. Pontificum*.

Cyrillus nimio fidei defendendae studio abreptus Nestorium exauctorandi sibi jus adrogaret, et avunculi Theophili exemplum sequeretur, qui contra canones Chrysostomum damnare ausus erat. Denique, quod omnem prorsus dubitationem tollit, universa Ecclesia in Ephesino concilio congregata, in synodica epistola ad Caelestinum missa, cum multa de Ioannis Antiocheni injuriis dixisset, qui cum suis Episcopis Cyrillum Alexandrinum, et Memnonem Ephesium Episcopatu temere amoverat, diserte affirmavit eum in illos nullam habuisse potestatem. Ipsa synodi verba audire non pigeat, unde magis magisque nostrae sententiae veritas elucet: *Indignetur ergo*, inquiunt Patres, *tua reverentia valde ob ea, quae gesta sunt. Si enim data fuerit volentibus licentia et majores sedes injuriis afficiendi, et contra eos, in quos non habent potestatem, contra leges sic, et contra canones proferendi sententiam.........ad extremam confusionem redigentur res Ecclesiae* (1). Igitur si ex priscis

(1) *Epist. Concil. Ephes. ad Caelestinum. Tom.* III. *Concil.* Αγανακτησατω τοινυν προσφορως επι τοις γεγενημενοις ἡ ση ὁσιοτης. Ει γαρ δοθειη τοις εθελουσιν αδεια και τους

Ecclesiasticae disciplinae regulis nullum uni Patriarchae in alterum, excepto Romano Pontifice, imperium fuit, nulla potestas, multo magis concludere oportet nec Exarchum a suis dioecesanis, nec Metropolitam ab Episcopis provincialibus criminis damnari potuisse.

Pluribus hactenus argumentis Romanum Antistitem totius Occidentis Patriarcham exstitisse universe ostendere conati sumus : at nunc opus esse videtur, ut singillatim Occidentis dioeceses perlustremus, nimirum Illyricum, Italiam *stricte* dictam, Galliam, Hispaniam, et Africam; inque hasce singulas patriarchica jura, eaque maxime, quae synodorum indictionem, et Episcoporum consecrationem respiciunt, sedem Apostolicam semper exercuisse doceamus.

μειζονας ὑβριζειν θρονους. και καθ᾽ ὧν ουκ εχουσιν εξουσιαν, παρανομους οὑτω, και ακανονιστους εκφερειν ψηφας......... οιχησεται προς εσχατην αταξιαν τα τῆς Εκκλησιας πραγματα.

Articulus 2.

Patriarchalis in totum Illyricum potestas Rom. Pontifici asseritur.

Antequam rationes afferamus, unde id suadetur, quod proposuimus, observandum omnino censemus, Illyricum heic non ea significatione accipi, qua Rom. reipublicae tempore, et sub prioribus Caesaribus sumebatur; tunc enim sat angustis finibus coarctatum ab Arsia ad Drinum amnem patebat, ut Plinius tradit (1), et in duas provincias distribuebatur, Liburniam, et Dalmatiam. Sed eo sensu intelligimus, quo acceptum sub posterioribus Principibus, maximeque post Constantinum Augustum vastum illum terrarum tractum comprehendebat, qui ab Alpibus ad Euxinum usque exporrigebatur, complectens praeter vetus Illyricum, Pannoniam, Moesiam, Daciam, Macedoniam, atque Achajam, sicut ex ejus aetatis scriptoribus liquet. Hoc vero latiori sensu Illyricum sumtum, divisumque postea in occidentale, et

(1) *Lib.* III, cap. 26. Plinio consentit etiam Ptolemaeus *Lib.* II. *cap.* 17.

Digitized by Google

orientale, jam inde a primo Ecclesiae aevo patriarchicae Romae jurisdictioni paruisse contendimus. Idque evidenter comprobamus ex compluribus summorum Pontificum epistolis, quibus suas vices Thessalonicensibus Episcopis cum ampla in Illyrici provincias potestate committebant. Sed praecipue ex Siricii ad Anysium Thessalonicensem epistola discimus, nullum ex Apostolico privilegio potuisse in iis regionibus sine illius venia Episcopum ordinari; imo ipsimet, si voluisset, quemvis Episcopum ordinare licitum esse. En Siricii verba (1): *Etiam dudum, frater carissime, hujusmodi literas dederamus, ut nulla licentia esset sine consensu tuo in Illyrico Episcopos ordinare praesumere.... Ad omnem hujusmodi audaciam comprimendam vigilare debet instantia tua, Spiritu in te Sancto fervente, ut vel ipse si potes, vel quos judicaveris Episcopos idoneos cum literis dirigas, dato consensu, qui possint in ejus locum, qui defunctus, vel depositus fuerit, catholicum Episcopum, et vita, et moribus probatum secundum Nicaenae*

---

(1) *Epist.* 4. apud Petrum Coustant. *Tom.* I. *Epist. Rom. Pontif.*

synodi statuta ordinare. Idemque Antistitis Thessalonicensis privilegium Caelestinus I. (1) et Xystus III. (2) confirmantes praecipiunt, ut illo inscio, Episcopos nullus ordinet Metropolitanus. Porro exstat Bonifacii I. epist. ad Rufum pariter Thessalonicensem; in qua de quorumdam contumacia conquestus Pontifex, diserte tradit, Illyrici Episcopos, eodem inconsulto, synodos indicere non posse (3). *Ad synodum*, ait, *quae dicitur illicite congreganda de caussa fratris nostri, et coepiscopi Perigenis, cujus scripsimus statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta dereximus, quibus universi fratres intelligant, primo convenire se citra tuam conscientiam minime debuisse, deinde non esse de nostro judicio retractandum.* At nemo clarius, et copiosius ea jura expressit, quibus in Illyrici Ecclesias frui deberent ex Apostolica delegatione Thessalonicenses Episcopi, quam Leo Magnus duabus epistolis ad Anastasium Thessalonicensem scriptis. In harum priore, quae cum antea inter illius Pontificis opera non exstaret,

(1) *Epist.* 3. *Ibidem.*
(2) *Epist.* 8. *Ibidem.*
(3) *Epist.* 13 *Ibidem.*

ab Holstenio primum in lucem fuit edita (1), inter alia primo praecipit, ut nullum Episcopum in Illyrico sine sua auctoritate a Metropolitanis consecrari patiatur, Metropolitanos vero omnes ipse consecret; deinde ut quoties necessitas poscat, concilia ex tota dioecesi convocet, ibique caussas enatas definiat, negotia tamen graviora sedis Apostolicae judicio reservet. In altera vero, quae inter ejus opera invenitur (2), haec praecipue decernit, I. ut Metropolitanus de electo, quem est ordinaturus Episcopum, ad Thessalonicensem Episcopum referat: et de Metropolitano electo similiter provinciales Episcopi faciant; II. ut bina per annum provincialia concilia celebrentur: et si res difficilis acciderit, nec fuerit Thessalonicensis Praesulis judicio composita, ad Romanam sedem referatur; III. ut Thessalonicensis Antistes in convocandis ad concilium ex omnibus provinciis Episcopis moderatum se praebeat, et aequum; atque ad eum mittantur non amplius, quam bini e singulis provinciis Episcopi, quos Metropolitani probaverint; IV. demum ut si inter

(1) *Collect. Roman. Tom.* I.

(2) *Epist.* 84. *ad Anastasium Thessal.*

*

eos de negotio fuerit exorta contentio, cuncta Romano Pontifici sub gestorum serie pateſiant, quo ab eo, quod Deo placuerit, statuatur.

Haec ferme munia obibant in Illyrico Thessalonicenses Episcopi pro sede Apostolica; quae tamen quaedam sibi reservabat, quae per illos praestari non poterant. Ita sane Innocentius I. literis ad Illyrici Episcopos datis (1) significat, se illorum rogatu absolvisse Pothinum Episcopum, quem suus decessor damnaverat: et Bonifacius modo citata epistola Maximum Episcopum, quem, Antistite Thessalonicensi referente, male initiatum cognoverat, Sacerdotio privari jubet; unde apparet, inscio Pontifice, majores Episcoporum caussas non potuisse definiri. Praeterea Pontificis tantum erat Metropolitanorum electionem post acceptas sui Vicarii literas ratam facere: uti ostendit ejusdem Bonifacii epistola ad Rufum Thessalonicensem, ubi scribit se nondum electioni Perigenis Metropolitae Corinthi assensum praebuisse, quia nullas ab eo literas acceperat (2); tum et Gregorius M. qui ad Epiri Episcopos

(1) *Epist.* 17. apud Coustant.
(2) *Epist.* 5. *ibidem.*

scribens ait se, relatione accepta, Andreae Metropolitae electionem firmasse (1).

Quae cum ita sint, nemo non videt in Illyrici Ecclesias plenissimam Romano Antistiti potestatem fuisse patriarchicam, quam is partim per se, partim per Thessalonicenses Praesules (2)

(1) *Lib.* 6. *epist.* 8.

(2) Nolim tamen ex hoc quis existimet, totum plane Illyricum Thessalonicensis Antistitis curae commissum esse: id enim de solo Illyrico Orientali in duas dioeceses, Daciam, et Macedoniam dispertito intelligi oportere vetera produnt monumenta. Nec omittendum videtur, in eadem regione aliquando duos a Romana sede simul Exarchos, Thessalonicensem nempe Episcopum in Macedonia, et Iustinianae primae Episcopum in Dacia renunciatos fuisse. Quin et eodem tempore in Illyrico praeter Thessalonicensem Episcopum, et Iustinianae primae Antistitem, sive Achridensem, etiam Corinthi Metropolitam fuisse a Romano Pontifice vicaria potestate ornatum, totique Achajae praefectum, e Gregorii Magni epistolis non temere arguitur. Quod autem ad Occidentale Illyricum attinet, admodum credibile est, illius exarchicam procurationem vel Syrmiensi Episcopo Pontifices demandasse; vel potius hujusmodi munus nulli certae sedi adfixisse, sed modo uni, modo alteri Antistiti, prout necessitas ferebat, quae expedienda videbantur, commisisse.

explicabat: neque enim plura ceteri Patriarchae in suis dioecesibus faciebant. Et licet Illyricos Episcopos ob locorum distantiam, sermonisque diversitatem nec ipsemet ordinaret, neque ad suum concilium vocaret; jure tamen optimo utrumque agere potuisse haud est inficiandum: aliter enim id juris in suos Vicarios transfundere nequivisset.

Iam vero adversae sententiae patronis haec testimonia haud satisfacere possunt: imo potius arbitrantur inutilem prorsus, ac vanam poni operam in citandis hisce, aliisque pontificiis literis ad Thessalonicenses Praesules datis. Etenim ipsi ultro fatentur instituta medio ferme quarto saeculo a Damaso, atque a Pontificibus sequentibus continuata vicaria Thessalonicensis Ecclesiae potestate, Romanam sedem sibi in Illyricas provincias paullatim jus exarchicum quaesiisse; at istiusmodi jus nullum plane fuisse prioribus aetatibus quovis pignore certant. Verum duo haec velim considerent adversarii nostri: primum scilicet, non posse nisi per summam injuriam, ac temeritatem accusari ambitionis, injustaeque dominationis Pontifices sanctissimos, vitaeque integerrimos, quales Damasus, Siricius, Innocentius, Bonifacius, Caelestinus, ac Leo Magnus fuerunt.

Alterum vero, in omnibus horum Pontificum epistolis ad diversas Ecclesias scriptis, quae adhuc supersunt, semper *majorum canones, sanctorum Patrum canones, privilegia antiquitus instituta* obtendi, eaque religiose sequenda inculcari. Ac Leo praesertim, cum audivisset in Chalcedonensi synodo, absentibus suis legatis, conditum esse canonem, quo Constantinopolitano Episcopo in Ponticam, Asianam, et Thraciam dioecesim patriarchica concedebatur potestas, ipse illo canone repudiato, ad Anatolium Constantinopolitanae urbis Antistitem scribens antiqua Exarchorum jura servari jussit per haec verba (1): *non convellantur provincialium jura primatum, nec privilegiis antiquitus institutis Metropolitani fraudentur Antistites.* Quanam ergo fronte objecisset Constantinopolitano Episcopo violatos canones, imminuta Primatum privilegia, si ipse, ejusque decessores Illyricas Ecclesias contra fas suo subjecissent imperio? Nonne et ille horum Metropolitanorum conculcata jura Romanae sedi exprobrare potuisset? Sed quid conjecturis opus est nobis, cum ejusdem, quam adfirmamus, rei longe

(1) *Ep.* 53.

locupletissimum testem Honorium Augustum habeamus? Nam cum Theodosius junior fratris filius, qui in Oriente imperabat, epistola ad Philippum Praef. Pr. Illyrici data (1) omnes Illyrici orientalis caussas Constantinopolitani Antistitis judicio reservari decrevisset; Honorius ipse, quem totam hanc controversiam sat diligenter ad examen revocasse omnino credendum est, literas Bonifacii Pontificis rogatu ad eumdem Theodosium scripsit, petens ut superiorem constitutionem abrogaret, quarum haec prae aliis verba sunt notanda (2): *Petit* (sedes Apostolica), *ut haec privilegia, quae dudum a Patribus constituta usque ad tempora nostra servata sunt, inconcussa perdurent. In qua parte respicit serenitas tua, nihil vetustis decretis, si quae canonum conscripta sunt regulis, penitus derogandum,* NEC TOT SAECULORUM REVERENTIAM NOVELLIS PRAEJUDICIIS SAUCIANDAM, *Domine. Unde majestas tua, recensitis nostrae pietatis affatibus, Christianitatis memor, quam pectoribus nostris misericordia caelestis in-*

(1) *Cod. Theod. lib.* XVI. *tit.* 2. l. 45, et *Cod. Iustin. lib.* I. *tit.* 2. l. 6.

(2) Holsten. *Collect. Roman.* pag. 81.

fundit, universis remotis, quae diversorum Episcoporum subreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur, antiquum ordinem praecipiat custodiri, NE SUB PRINCIPIBUS CHRISTIANIS ROMANA PERDAT ECCLESIA, QUOD SUB ALIIS IMPERATORIBUS NON AMISIT. Unde profecto satis evidenter apparet patriarchicum jus Romanae sedis in Illyricas provincias non a Damaso, ut volunt adversarii, incepisse, sed jam inde a priori Ecclesiae aevo in usu fuisse: alioqui non vocasset Honorius *tot saeculorum* privilegium, nec dixisset etiam sub Ethnicis Imperatoribus invaluisse. Etenim finge eum Principem errore deceptum falsa ad Theodosium Augustum retulisse: hic procul dubio in priori sententia perstitisset, nec tam facile patruo obsecutus suam legem sustulisset. Atqui Theodosius ad Honorium rescribens ait se, cognita fraude, suis Administris praecepisse, ut Romani Pontificis in Illyricum privilegia illaesa servarentur; sic enim in extrema epistola ait (1): *Unde omni supplicantium Episcoporum per Illyricum subreptione remota, statuimus observari, quod*

(1) **Exstat in eadem *Collect.* pag. 83.**

Digitized by Google

prisca Apostolica disciplina , et canones veteres eloquuntur. Super qua re secundum formam oraculi perennitatis tuae ad viros illustres Praefectos Praet. Illyrici nostri scripta porreximus, ut cessantibus Episcoporum subreptionibus, antiquum ordinem specialiter faciant custodiri, ne venerabilis Ecclesia sanctissima Urbis privilegia a veteribus constituta amittat, quae perenne nobis sui nominis consecravit imperium. Et quamvis hujus alterius constitutionis, qua priorem abrogavit Theodosius Augustus, nullum neque in Cod. Theodos. neque in Cod. Iustinian. exstet vestigium; de ea tamen dubitare nos non sinit continuata adhuc per plures aetates Romanorum Pontificum in Illyricas Ecclesias exarchica potestas. Itaque satis mirari non possum, ut de heterodoxis scriptoribus sileam, Baluzii (1), et Espenii (2) audaciam, qui ambitionis Romanam sedem insimulare non sunt veriti, quae quarto primum saeculo Thessalonicenses Vicarios, et deinceps alios instituerit. Hi profecto in tam turpem errorem minime

(1) In *Appendice ad Lib.* V. P. de Marca *de Concord. Sac.* et *Imp. cap.* 19.

(2) *Iuris Eccles. Part.* I. *Tit.* XXI. *Cap.* 1.

incidissent, si in investigandis pontificiis juribus potius prisca consulere monumenta, quam praeconceptis opinionibus, et obtrectandi libidine duci maluissent.

Quae huc usque de Pontificis in Illyricum potestate a nobis demonstrata sunt, possunt oblique, seu *indirecte,* ut nostri ajunt philosophi, ad alias Occidentis regiones referri. Si enim Ecclesiae Macedoniae, et Achajae, quae a Divo Paullo fundatae sunt, Romano Patriarchatui jam ab initio cesserunt; quis unquam credet, Gallicanas, Hispanicas, et Africanas provincias, in quas non aliunde, nisi a Romana sede Evangelicum lumen invectum fuit, ex hujus patriarchali imperio se subduxisse? Verumtamen hujusmodi nos *indirecta* argumentatione neglecta, adversus Dupinium, ejusque fautores *directe,* ut dicitur, etiam in memoratas regiones Pontificis jus ostendemus: siquidem plura ad id probandum nobis suppetunt ex vetustis membranis desumta argumenta.

ARTICULUS 3.

Romanus Episcopos praeter provincias suburbicarias etiam reliquam Italiam patriarchica auctoritate regebat.

Post Imperii in dioeceses partitionem, quae sub Constantino facta est, duplici notione Italiae nomen usurpatum invenimus: eo enim appellata est vel tota illa regio, quae ab Alpibus ad Siculum fretum extenditur; vel superior tantum pars, quae septem ea aetate constabat provinciis, cujusque caput erat Mediolanum. Dupinius autem contendit (1) Italiam posteriori significatione acceptam nequaquam antiquitus ad Romanum Patriarchatum pertinuisse, sed Mediolanensis Antistitis propriam evasisse dioecesim. Idque ut probet, affirmat nunquam Romanum Pontificem Italiae *stricte* dictae Metropolitas consecrasse, aut ex ea concilia coëgisse: tantumque Gregorii M. aetate addit in Mediolanensis Episcopi ordinatione Apostolicae sedis consensum exspectari coepisse.

(1) I. *Dissert.* §. 13.

Verum quod ad synodorum convocationem spectat, vehementer falli Dupinium satis arguunt Romae habita quarto saeculo, et deinceps concilia, quibus interfuisse Italiae superioris Praesules accepimus. Nam ad synodum Romae anno 313. adversus Donatistas sub Melchiade congregatam Meroclem Mediolanensem Episcopum accitum fuisse auctor est Optatus Milevitanus (1). Ac Valerianus Aquilejensis Metropolita legitur inter Episcopos, qui Romanum concilium sub Damaso anno 372. contra Auxentium Arianum celebrarunt, ut ex hujus concilii synodica ad Illyrici Episcopos patet, quam refert Theodoretus (2). Tum Patres Constantinopolitani concilii in synodica ad Episcopos Romae congregatos post Damasum, Ambrosium Mediolanensem, et Valerianum Aquilejensem memorant (3). Ad haec in Praesulum numero, qui Romam anno 465. ad celebrandam Hilari Papae inaugurationem convenerunt, recensentur nonnulli Italiae minus late dictae Episcopi (4). Ac demum VI. saeculi initio

(1) *Lib.* II.
(2) *Lib.* II. *Hist. Eccles. cap.* 22.
(3) Theodoret. *Lib.* V. *Hist. Eccles. cap.* 9.
(4) *Tom.* V. *Concil.*

Digitized by Google

plures frequentes sub Symmacho Pontifice coactae sunt in Urbe synodi de rebus ad Romanam sedem pertinentibus; quibus Laurentium Mediolanensem cum aliis suae provinciae Episcopis subscripsisse novimus (1).

Quod vero scribit Dupinius, nunquam Italiae superioris Metropolitanos a Pontifice initiatos fuisse, et Gregorii aevo primum Mediolanensis Episcopi ordinationi assensum praeberi coepisse; id pariter falsum esse constat ex Pelagii I. epistola ad Ioannem Patricium, quam cum aliis Lucas Holstenius e tenebris in lucem vindicavit. In ea enim petens Pontifex, ut duo schismatici Episcopi Mediolanensis, et Aquilejensis debito supplicio afficerentur, inter alia scripsit Romae illos olim consecrari consuevisse, sed deinde ob itineris longinquitatem indultum esse, ut se invicem consecrarent (2): *Is mos, ait, antiquus fuit, ut quia pro longinquitate, vel difficultate itineris ab Apostolico onerosum illis fuerat ordinari, ipsi se invicem Mediolanensis, et* ***Aquilejensis ordinare Episcopi debuissent;***

---

(1) *Tom.* V. *Concil.*

(2) *Tom.* VI. *Concil.*

ita tamen ut in ea civitate, in qua erat ordinandus Episcopus, alterius civitatis Pontifex occurrere debuisset. Quare nil mirum, si ab Italiae Episcopis Ambrosium consecratum fuisse narrat Theodoretus (1); quo enim tempore id accidit, desierant Romae ordinari Mediolanenses Antistites. Hinc tamen nolim quis sequi illud existimet, Pontifices Romanos, post id beneficium in Mediolanenses, et Aquilejenses Metropolitanos collatum, omnino eos ordinandi jure se exuisse: siquidem postquam legitime ipsi electi fuerant, nullo pacto inaugurari poterant, nisi pontificius accessisset consensus. Probatur hoc de Mediolanensi ex epistola Gregorii Magni (2) ad Ioannem Subdiaconum, qui sane haud existimandus est primus hunc morem induxisse, uti sentire videtur Dupinius: nam is in citata epistola aperte innuit, se antiquam in hac re consuetudinem sequi. *Si quidem*, inquit, *in praedicto filio nostro Constantio omnium voluntates, atque consensum perdurare cognoscis, tunc eum a propriis Episcopis, sicut antiquitatis mos*

(1) *Lib.* IV. *Hist. Eccles. cap.* 7.
(2) *Epist.* 30. *Lib.* III.

exigit, cum nostrae auctoritatis assensu..... facias consecrari: quatenus hujusmodi servata consuetudine et Apostolica sedes proprium vigorem retineat, et a se concessa aliis sua jura non minuat. Cujus loci postrema verba satis docent, quod ante docuerat Pelagius, Mediolanensem Episcopum ex Apostolico privilegio in sua provincia consecrari suevisse. Sed et desinente saeculo V. Symmachum Papam Aquilejensis Episcopi electionem sua assensione firmasse legimus (1): unde liquido patet longe ante Gregorium ut ad Mediolanensem, ita et ad Aquilejensem consecrandum (par enim amborum in tali re esse omnino debuit fortuna, et conditio) necessariam habitam esse Romanae sedis consensionem. Nec porro quia nulla antiquiorum Pontificum similia decreta adhuc reperire licuit, rite inde argueret quispiam nulla alia plane exstitisse. Nam vetustiora Romanae Ecclesiae tabularia, ubi innumera Pontificum decreta, et epistolae asservabantur, quibus vel aliquid decernebant tum ad Ecclesiam universam, tum ad peculiares Ecclesias spectans, vel ad relationes synodorum

(1) *Epist. 3. ad Liberium Patricium Tom. V. Concil.*

totius Orbis respondebant (frequentissime olim habebantur synodi praesertim provinciales) partim temporum injuria, partim hostili furore periisse sciunt universi. Si ea nunc exstarent, extra omnem dubitationis aleam plurima ex ipsis certissima depromere liceret monumenta, quae Apostolicae sedis non modo in totam Italiam, sed etiam in Galliae, Hispaniae, atque Africae Ecclesias exarchicam potestatem omnibus longe testatiorem facerent. Et sane Hieronymus ad Ageruchiam scribens tradit se, cum esset Romae Damasi Pontificis a secretis, non leviter occupatum fuisse in respondendo *Orientis, atque Occidentis synodicis consultationibus* (1). Infinita ergo et Damasi, et aliorum qui eum antecesserunt, vel per plura saecula secuti sunt Pontifices, fuisse rescripta omnino oportuit: attamen vix paucas illorum epistolas, velut e naufragio tabulas, si Gregorii Magni epistolas excipias, superesse Ecclesiasticarum antiquitatum studiosi omnes norunt. Huc accedit, quod summo studio, summaque diligentia sua jura, ac praecipue id, quo de loquimur, tuebantur Romani Pon-

---

(1) *Epist.* 91. Edit. Maur.

Digitized by Google

tifices: idque vel ex eo liquet, quod scribit Gregorius (1), se graviter in Salonitanae urbis Episcopum animadvertisse, quod, inconsulta Romana sede, inauguratus fuisset; quin et addit *factam esse rem, quae sub nullis anterioribus Principibus evenit.* Quis itaque in animum inducet, id jus in consecratione Metropolitarum Italiae Pontifices negligere voluisse, quod in Metropolitam Dalmaticae urbis tantopere retinere nitebantur?

Haec cum ita se habeant, facile quisque perspicit nulla ratione defendi posse exarchicam Mediolanensis Ecclesiae potestatem in provincias septem ab Italiae Vicario gubernatas, quam propugnant Dupinius, et cum eo Dughetius, qui latius hoc argumentum persequitur, quibusdam Ambrosii male intellectis epistolis maxime confisus (2). Et quidem his epistolis non diffitemur deceptos fuisse duos summos viros Baronium (3), et Sirmondum (4), qui idcirco Mediolanensis Episcopi jurisdictionem latius, quam par erat, prolatarunt. At praeterquamquod eorum argu-

(1) *Lib.* V. *epist.* 21. *ad Constantiam Augustam.*
(2) *Confer. Ecclesiast. Tom.* II. *Disser.* 58.
(3) *In annal. ad an.* 380.
(4) *Propempt. cap.* 8.

mentis Pagius, et Norisius (1) cumulate satisfecerunt; haud ipsi de exarchica dioecesi Mediolanensis Antistitis, quam ne somniarunt quidem, sed de metropolitica tantum provincia, quam tamen Patriarchatui Romano subjectam volebant, verba fecerunt. Rursus vero Exarchatum istum plane evertunt tum ea, quae contra Dupinium modo disputavimus, tum quod nullum hujus rei vestigium in veteribus exstat monumentis; tum maxime quod in Aquilejensi concilio anni 381. Ambrosius, quem Italicae dioecesis Exarchum fuisse volunt, post Valerianum Aquilejensem sedisse legitur (2). Verum qui plura de hac re scire desiderat, Ioannem Antonium Blanchium adeat, qui in opere italice scripto *de potestate, et politia Ecclesiae* (3) egregie, et copiose Dughetii cavillationes refutavit (4).

(1) Noris. *Dissert. de* V. *Syn. cap.* 10.

(2) *Tom.* II. *Concil.*

(3) *Tom.* V. *lib.* III. *cap.* 1.

(4) Noster Iulius Selvagius in suis *institutionibus Iuris Canonici lib.* I. *tit.* 12. conjurans amice cum Dughetio in adjudicandis Romani Pontificis dioecesi tantum suburbicariis provinciis, totus est et ipse in stabiliendo per Italicam dioecesim Mediolanensis Antistitis

Articulus 4.

Romanae sedi in Gallicanas Ecclesias patriarchalis potestas vindicatur.

Cum tria praecipua sint Patriarcharum munera, Episcoporum consecratio, synodorum in-

---

Exarchatu: utque id demonstret, eadem argumenta ex Ambrosii epistolis petita adhibet. Ne igitur hujus scriptoris auctoritate decipiantur adolescentes, qui eo duce in addiscenda re Canonica utuntur, nostrum esse ducimus, ut isthaec argumenta breviter refellenda curemus. Citat is primo epistolas ad Syagrium Veronensem Episcopum (quae sunt 5. et 6. in editione Maurina); unde erui posse existimat Ambrosium concilium Italicum coëgisse, ut sententiam a Syagrio in virginem injuste latam rescinderet. At ex hac epistola non cognoscitur concilium fuisse ex tota dioecesi Italica convocatum, sed ex provincia solum Mediolanensi, ad quam pertinebat Veronensis Ecclesia; quandoquidem tunc temporis Mediolanensis provincia latius, quam nunc, extendebatur, et dioecesis Italica septem civilibus provinciis constans duas tantum Ecclesiasticas, Mediolanensem, et Aquilejensem continebat. Deinde laudat epistolam ad Ecclesiam Vercellensem, ubi Ambrosius ait

dictio, et majorum caussarum disceptatio; quin in Galliae provinciis isthaec obierint primis Ec-

---

se confici moerore, quod non adhuc illi Pastorem praefecerit; tum alteram ad Vigilium Tridentinum Antistitem, quem affirmat ab Ambrosio consecratum fuisse, atque ab eo commendatam habuisse Ecclesiam ad Forum Cornelii, donec ei ordinaretur Episcopus. Verum quod ad priorem spectat (nimirum 63. novae editionis), nemo debet mirari Ambrosium tam vehementer cupere Episcopum Vercellensis Ecclesiae creare, quae cum tota Liguria ea aetate in provincia Mediolanensi comprehendebatur. De epistola vero ad Vigilium data, animadvertere necesse habemus, nostrum Auctorem e duabus Ambrosii epistolis, quarum altera ad Vigilium, ad Constantium altera est scripta, perperam confusis unam conflasse: neutra tamen ejns opinioni vel minimum favere videtur. Etenim epistola ad Vigilium 19. nequaquam significat, hunc ab Ambrosio fuisse Episcopum initiatum, sed illud dumtaxat, sanctum Doctorem de nonnullis quaestionibus ab amico interrogatum ei abunde satisfecisse: in altera vero ad Constantium (quae est ordine 2) idcirco illi Ecclesia Fori Cornelii commendatur, *donec ei ordinetur Episcopus*; quia Aemilia, ubi Cornelii Forum, ad Ambrosii provinciam pertinebat. Denique duas alias in medium profert epistolas: quarum in una Ambrosius de inventis a se Bononiae SS. Vitalis, et Agricolae corporibus omnes

clesiae temporibus Romani Episcopi, minime dubitare veterum scriptorum nos cogit auctoritas.

Italiae Episcopos, et populos monet hac usus inscriptione: *Dilectissimis Fratribus, et universis plebibus per Italiam constitutis*; in altera autem de repertis Mediolani SS. Gervasii, et Protasii corporibus eosdem Episcopos certiores facit cum hac epigraphe: *Fratribus per omnem Italiam constitutis.* E quibus clare colligi putat, pastoralem Episcopi Mediolanensis curam, ac sollicitudinem per universam Italiam stricte nuncupatam patuisse. Sed primo istae epistolae cum in Appendicem operum D. Ambrosii a Maurinis editoribus conjectae cernantur, profecto suppositae, et spuriae doctis illis viris fuerunt visae. Deinde licet genuinis Ambrosii foetibus eas adnumerare placeat, qua tandem ratione ex ipsis exarchica in totam dioecesim Italicam Mediolanensis Antistitis potestas extundi queat, haud plane intelligo. Unde enim nobis innotescere poterit heic Italiae nomine accipi septem tantummodo provincias Vicario Italiae subjectas, non vero integram regionem, quae ab Alpibus ad Siciliam usque extenditur, cum utraque notione apud illius aetatis scriptores id vocabulum usurpari solemne fuerit? Aut si de Italia minus late sumta epistolas hasce interpretari velimus, quid, rogo, impedimento est, quominus ad Episcopos etiam minime sibi subjectos Ambrosium scripsisse dicamus, ut de clarissimorum Martyrum detectis reliquiis,

Primum enim medio circiter tertio saeculo sub Decio Principe in diversa Galliae loca septem Episcopi a Romana sede missi fuerunt, uti auctor est Gregorius Turonensis, cujus haec sunt verba (1): *Hujus tempore* (Decii) *septem viri Episcopi ordinati ad praedicandum in Gallias missi sunt.........Hi enim missi sunt, Turonicis Gratianus Episcopus, Arelatensibus Trophimus Episcopus, Narbonae Paullus Episcopus, Tolosae Saturninus Episcopus, Parisiacis Dionysius Episcopus, Arvernis Astremotius Episcopus, Lemovicinis Martialis est destinatus Episcopus.* Quam quidem in rem animadvertere juvat, hos Episcopos tunc temporis in Galliam profectos esse, cum ea regio maxime florebat Christiana fide, quae saltem centum ante annis eodem illata erat: siquidem altero exeunte saeculo ab Irenaeo Lugdunensi Episcopo concilium provinciale adversus Quartodecimanos coactum fuisse tradit Eusebius (2);

---

qui maximo in honore tota Italia habebantur, quorumque precibus miranda opera Deus efficiebat, eosdem commonefaceret?

(1) *Lib.* I *Histor. Franc. capit.* 28. edit. Paris. an. 1522.

(2) *Lib.* V. *Histor. Eccles. cap.* 24.

qui etiam refert Pothinum Irenaei decessorem in Galliis, M. Antonino imperante, cum ingenti Christianorum multitudine martyrii coronam adeptum esse, eaque de caussa celebrem epistolam a Lugdunensi, et Viennensi Ecclesia ad Fideles Smyrnenses datam esse (1). Itaque si nullo jure patriarchico in Gallicanam Ecclesiam Romanus Pontifex utebatur, uti volunt adversarii, quid, quaeso, oportebat ut initiatos a se Episcopos in Galliam mitteret, ubi plures erant jamdiu Episcopi, et unus saltem Metropolitanus? Aut cur a Romana sede potius, quam a Viennensis provinciae Sacerdotibus Arelatensi Ecclesiae datus est Episcopus?

Quod si iis assentiri velimus, qui sentiunt Apostolorum, aut certe Apostolicorum virorum aevo aliquas trans Alpes conditas esse Ecclesias, quorumque opinionem prae ceteris acerrime defendit Maurinus editor *Galliae Christianae* (2); longe major profecto vis nostrae argumentationi addatur necesse est. Nam si duobus ferme saeculis post Christianam religionem in Gallia sus-

---

(1) *Eodem lib. cap.* 1.
(2) *Praefat. in novam Gall. Christ.*

ceptam, institutosque ibi Metropolitas, adhuc Romae consecrabantur. Gallicani Episcopi, id propterea fieri debuit, quia patriarchali Pontificis potestati subdebantur; neque ulla certe fingi potest ratio, quamobrem posteriori aetate hujusmodi jus amitteretur. Et quidem in Oriente ea viguit sanctior disciplinae ratio, ut provinciae, in quas e primariis sedibus Evangelica lux pervaserat, exarchicum illarum imperium perpetuo agnoscerent. Cur autem in Occiduis regionibus non idem obtinuisse dicemus? Accedit quoque, quod cum Gregorii M. aetate in Britannia Christiana fides, quae illuc altero saeculo fuerat invecta, prope esset exstincta; atque hujus Pontificis opera Augustinus monachus cum aliis sociis in eam insulam ad praedicandum Evangelium profectus, ibidem praeter plures Episcopatus duas metropoliticas cathedras, Cantuariensem, et Eboracensem, jubente eodem Pontifice, instituisset: has novas Ecclesias non modo vivo Augustino, sed etiam secutis aetatibus semper patriarchico jure gubernavit Romana sedes (1). Quare minime existimare fas est, antiquiores Pontifices, quos

(1) Liquet id ex ejusdem Gregorii, et ipsius successorum epistolis.

Digitized by Google

in suis epistolis tantopere Apostolicae sedis dignitatem, majestatemque extollere, ac tueri solitos fuisse novimus, Ecclesias Gallicas a se fundatas quodammodo emancipare, ac liberas reddere voluisse.

De caussis vero majoribus, cujusmodi est Episcoporum exauctoratio, insigne exstat Cypriani testimonium, qui in epistola ad Stephanum Papam (1) diserte ostendit, sine Romanae sedis auctoritate Gallicanos Praesules a suis Metropolitanis damnari minime potuisse. Initio enim ait ad se *semel atque iterum* Faustinum Lugdunensem Metropolitanum, ipsiusque provinciae Episcopos de Marciani Arelatensis scelere scripsisse, qui Novatiani errorem secutus veniam peccantibus denegabat. Mox a Pontifice petit, ut tanto malo obviam ire velit his verbis: *Quapropter facere te oportet plenissimas literas ad Coepiscopos nostros in Gallia constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem, et superbum, et divinae pietatis, ac fraternae salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur, quod necdum a nobis videatur abstentus.* Demum hac clausula utitur: *Dirigantur in pro-*

(1) *Epist.* 67. edit. Pamelii.

Digitized by Google

vinciam, *et ad plebem Arelate consistentem a te literae, quibus, abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur.* Nec nostri argumenti robur enervat, quod praeeunte Quesnellio (1) objicit Dupinius (2), hoc tantum a Stephano postulasse Cyprianum, ut Galliae Episcopos schismatico Marciano Episcopatum adimere, aliumque ei sufficere hortaretur: quod quidem, ut ipse inquit, non solum Stephano, sed cuivis etiam Episcopo facere licebat. Si enim Gallicanis Episcopis libera suos collegas damnandi facultas erat, cur ii primum ad Stephanum, quemadmodum ex laudata Cypriani epistola cognoscitur, literas de Marciano miserunt; dein quia Stephanus fortasse de crimine dubitans moras nectebat, *semel atque iterum* ad Cyprianum, ut de tota re Pontificem moneret, scripserunt? Ad haec Cyprianus, qui nihil antiquius habebat, quam ut illico poenam subiret Marcianus, nonne satius duxisset Gallos Episcopos per literas hortari, ut statim coacta synodo collegam damnarent, quam longiorem moram ad Stephanum cunctantem scribendo interponere?

(1) *Dissert.* V. *ad* S. *Leonis opera part.* I. c. 14.
(2) *Citat. Dissert.* I. §. 13, et *Dissert.* II. *cap.* 2. §. 1.

Quod demum ad concilia vocandi Gallicanos Praesules jus habuerint Romani Episcopi, Theodoreti historia edocemur; qui de concilio Romae a Damaso congregato adversus Auxentium Arianum, et de synodica hujus concilii ad Illyricos Episcopos epistola agens haec habet (1): *Scripserunt autem cum illo* (Damaso) *eas literas nonaginta Episcopi, qui ex Italia, et Gallia Romam convenerunt.* Atque haec pauca sane exempla patriarchicae Pontificum in Gallias potestatis ab Ecclesiae primordiis ad quartum usque saeculum haurire nobis ex antiquis libris licuit: nec mirum, cum priscae illius aetatis scrinia, atque archiva Ecclesiastica temporum iniquitate interciderint. Sed tamen ea ipsa satis esse possunt ad declarandum, quales disciplinae mores feliciori illo Ecclesiae tempore in usu fuerint; ne quis audiens insequenti aevo, post institutos Arelatenses Vicarios, simili in Gallicanas Ecclesias usos fuisse potestate Romanos Pontifices, eos nova sibi quaesiisse jura, non vetera retinuisse perperam existimet. Et quidem Patroclus Arelatensis, qui

(1) *Lib.* II. *cap.* 22. *Histor. Eccl.* Εννενηκοντα δε κοινωνους εσχε των γραμματων εξ Ιταλιας, και Γαλατιας της νυν Γαλλιας ονομαζομενης εις την Ῥωμην συνεληλυθοτας.

primus creatus creditur in Galliis Vicarius a Zosimo Papa, haud jus metropoliticum in Viennensem provinciam, et in duas Narbonenses ab hoc petere cogitasset (1), nisi nota, atque explorata fuisset patriarchica Romanae sedis in Gallias jurisdictio. Nam Patriarcharum tantum erat in sua dioecesi novas sedes metropoliticas constituere; neque unquam legimus Episcopos Romanos id juris in Orientis dioeceses sibi adrogasse. Praeterea cum dicitur primus Patroclus vice pontificia in Gallia functus, id quidem de ea tantummodo potestate intelligere oportet, quae alicui perpetuo ad quascumque caussas expediendas defertur: neque enim dubitandum videtur, quin antea Romani Antistites modo uni, modo alteri illius regionis Episcopo in aliquo tantum graviore negotio curando, prout necessitas poscebat, suas commiserint vices; quemadmodum in Hispania diu factitatum fuisse, antequam perpetui crearentur Vicarii, ex Romanorum Episcoporum, praesertim Leonis I. epistolis abunde noscere datur.

Iam porro videamus, quonam pacto Gallicanas

---

(1) Vide *epistolas* Zosimi *ad Patroclum* apud P. Coustant. *Tom.* I. *Epist. Romanor. Pontif.*

Ecclesias post quartum saeculum, creatis jam Arelatensibus Vicariis, rexerit Apostolica sedes. Ac profecto longe ante id tempus, aucta Fidelium multitudine, satisque constitutis Ecclesiasticis provinciis, existimandum videtur Romanos Antistites Gallis Episcopis ob itineris difficultatem indulsisse, ut in suis regionibus consecrarentur. Sed tamen Metropolitas ordinationum jus plane precarium, non vero absolutum, ac plenum adsecutos esse testantur locupletissime summorum Pontificum V. et VI. saeculi genuinae epistolae. Nam ut id exemplis probem, Zosimus jure metropolitico destituit Viennensem Episcopum, eumque subjecit Patroclo Arelatensi Antistiti; cui etiam duas Narbonenses attribuit, ut e tribus civilibus provinciis una Ecclesiastica efficeretur (1). At paucis post annis Bonifacius Zosimi successor solam Viennensem provinciam Patroclo reliquit, et Hilarium Narbonensem Episcopum Metropolitanum constituit duarum Narbonensium, quas Patroclo ademerat (2). Tum Leo Magnus, ut poenam exigeret ab Hilario Arelatensi, qui non

---

(1) *Epist.* 1. et 5. Zosimi. *ibidem.*

(2) *Epist.* 12. Bonif. *ibidem.*

una in re potestate concessa abusus videbatur, metropolitica dignitate, et omni jure in Viennensem provinciam eum privavit (1). Idemque deinde ita inter Arelatensem, et Viennensem Episcopum Ecclesias Viennensis provinciae dispertitus est, ut quatuor Episcopo Viennensi, idest Valentia, Tarantasia, Geneva, et Gratianopolis tribuerentur, reliquae vero ejus provinciae civitates Arelatensi Praesuli cederent: quo facto unam provinciam in duas divisit (2). Deinde Leonis successor Hilarus cum comperisset Hermen contra fas Ecclesia Narbonensi esse potitum, habita Romae synodo decrevit, ut Hermes pacis caussa sedem Narbonensem retineret, sed jus Episcopos initiandi ab eo ad antiquiorem provinciae Antistitem transferretur, ita tamen ut, mortuo Herme, a successore recuperaretur (3). Praeterea cum Anastasius II. divisioni inter Arelatensem, ac Viennensem Episcopum a Leone sancitae suo decreto derogasset, Symmachus Pontifex, rescisso hoc novo decreto, vetera sedis

(1) *Epist* 89. *ad Viennensis provinciae Episcopos.*
(2) *Epist.* 106.
(3) *Epist.* 8. Hilari *Tom.* V. *Concil.*

Digitized by Google

Apostolicae statuta observari jussit (1). Ex his igitur vides, plenissimo jure in Antistitum Gallorum consecrationem usos semper fuisse Romanos Pontifices. Nam modo Episcopos ordinandi facultatem uni dabant, alteri auferebant; modo e duabus provinciis unam conflatam uni Metropolitano assignabant; modo rursus unam provinciam in duas dispescebant, duosque Metropolitanos in ea constituebant. Atque ut omnia, quae in provinciis ordinandis decreta erant, religiose servarentur, omnisque fraudis occasio tolleretur, in Apostolicae sedis scriniis tabulae custodiebantur, quae non modo Ecclesiasticas provincias Galliarum constitutas (idemque omnino de reliquis Occidentis regionibus factum esse ne ambigas), verum etiam Ecclesiarum, seu Paroeciarum numerum, quae cuique provinciae attributae erant, exacte exhiberent: cujus rei Hilari Pontificis literae ad Leontium Arelatensem aperte meminerunt (2). Quae omnia nullo pacto explicare poteris, nisi statuas Apostolicam sedem potestatem patriarchalem in Galliarum Metropolitanos exercuisse; neque

---

(1) *Epist.* 1. et 9. Symm. *Tom.* V. *Concil.*
(2) *Epist.* 9. *ibidem.*

enim in Orientis regionibus eadem fecisse legimus. Quid vero, quod his non contenti Pontifices etiam suum assensum in consecrandis saltem Metropolitanis postulari voluerunt? Id certe quidem ex Leonis M. literis eruitur, quibus Episcoporum Viennensis provinciae relationi respondens, se libenter ratam facere Ravennii Arelatensis Antistitis electionem significat (1). Idem quoque de aliis Metropolitanis existimare omnino fas est, nisi uni Arelatensi hujusmodi legem impositam fuisse velimus; quod plane a recta ratione abhorret. Quocirca nemini mirum accidere debet, si suis Vicariis Metropolitanos ordinandi facultatem interdum tribuerint Romani Episcopi. Ita Bonifacius Moguntinus Metropolita, Germaniae, et Galliae Primas a Zacharia Pontifice renunciatus, plures Metropolitanos in Gallia consecravit; quod constat ex mutuis epistolis Zachariae ad Bonifacium, et hujus ad Zachariam (2). At quid si dicamus non Metropolitanos modo, sed quosvis etiam Episcopos in Galliis absque Romani Pontificis venia consecrari nequivisse? Profecto id

---

(1) *Epist.* 109.
(2) *Tom.* VIII. *Concil.*

Digitized by Google

expressis verbis docet Valentiniani III. Augusti constitutio, quae *de Episcoporum ordinatione* inscribitur (1). Nam in ea Princeps graviter Hilarium Arelatensem accusat, quod *Ecclesiae Romanae urbis inconsulto Pontifice, indebitas sibi ordinationes Episcoporum sola temeritate usurpans invasit.* Heic autem non me fugit eos scriptores, qui a nobis dissident, hujus legis auctoritatem parvi facere, quippe cum dictitent ipsam tulisse Valentinianum Leonis Pontificis suasu, qui novum jus sibi parare conabatur. Verum cum mox idem Imperator decernat, *ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papae Urbis aeternae auctoritate tentare*; plane ostendit se non novo privilegio Romanum Antistitem augere, sed ut vetus consuetudo illaesa servetur, edicere velle. Quare illud omnino statui posse videtur, in Gallicanis quoque, ceterisque Occidentis provinciis eumdem viguisse morem, quem supra in Illyrico custodiri vidi-

(1) Exstat inter Theodosii II. *novellas* num. 24 post Codicem Theodosianum.

mus, ut sine Pontificis, vel saltem sui Vicarii scientia nullum Episcopum Metropolitanis initiare fas esset.

Verum hoc ipsum, quod diximus, ordinationum jus Romanis Pontificibus denegari nequaquam posse, comprobatur magis ex altero graviores Episcoporum caussas judicandi jure, itemque e tertio ad synodos vocandi, quae in Gallicanas Ecclesias semper Apostolicam sedem habuisse constat; ea enim ejusmodi sunt naturae, ut perpetuo nexu inter se sint apta, et colligata. Neque heic nos de iis solum agimus caussis, in quibus a synodorum sententia ad summum Pontificem appellabatur; etenim minus difficulter id fortasse concederent adversarii: sed illas praecipue intelligimus controversias, quae primo per accusationis libellos ad Romanum judicium deferebantur. Hujus sane generis caussas plurimas produnt pauca illa veterum monumenta, quae nobis non invidit tempus: e quibus discimus Pontifices eas interdum Romae cognovisse, praesertim cum crimina essent manifesta, et omnibus paterent. Ita nempe Zosimus cum rescivisset Proculum Massiliensem Antistitem contra jus, et regulas Ecclesiasticas Episcopos inaugurare ausum esse, Episcopatu eum amovit, simulque per literas Patroclo

Arelatensi imperavit, ut alium illi Episcopum subrogaret (1). Nec absimili pacto Caelestinus I. cum post commissam Arelatensi Episcopo cujusdam Danielis caussam, qui apud sedem Apostolicam multis criminibus accusatus fuerat, audivisset eumdem eo ipso tempore, quo ad dicendam caussam adigebatur, consecratum esse Episcopum, illum statim a communione segregatum declaravit, et ad suum judicium omnino vocavit (2). Item Leo M. postquam in Romana synodo Chelidonium ab Hilario Arelatensi Episcopo damnatum absolvit, ipsius Hilarii caussam, de quo plures querelae ad Apostolicam sedem pervenerant, in eadem synodo disceptandam censuit; eumque, discussa re, metropolitica dignitate in

(1) *Epist.* 7. et 9. apud P. Coustant. *Tom.* I. *epist. R. Pontif.*

(2) *Epist.* 4. *ad Episcopos provinc. Viennens. et Narbon. ibidem.* Ex hac epistola discimus non modo Episcoporum, sed etiam inferiorum Clericorum, et Monachorum, qualis erat iste Daniel, crimina a Gallis hominibus ad Romanam sedem deferri solita: quod sane, sublata omni patriarchica potestate, qui intelligi queat, non video.

Viennensem provinciam spoliavit (1). At fateri oportet Romanos Pontifices saepissime hujusmodi caussas ad provinciales synodos cognoscendas rejecisse, ita tamen ut post synodicam relationem ipsi, sententia prolata, judicium absolverent. Hac profecto ratione Bonifacius, Zosimi successor, ad Episcopos per septem Galliae provincias constitutos scribens, primo ait Valentinae civitatis Clericos Romam venisse, ut suum Episcopum de innumeris criminibus, quae tota provincia teste perpetrarat, arcesserent: deinde significat se statim debuisse illum damnare, quod, toties delegata ab Apostolica sede provincialibus Episcopis caussae cognitione, semper judicium effugere studuerat, sed provincialis synodi disquisitioni totam rem relinquere maluisse: postremo praecipit, ut ad se referant Episcopi, quidquid decernant, quo possit sua auctoritate firmari (2). Sed ipsius Bonifacii verba praestat apponere, ut melius noscatur, majoribus judiciis in Gallia unice Romanos Episcopos praefuisse, nec synodos

(1) Leo M. *epist.* 89. *ad Episcopos provinciae Viennensis.*

(2) *Epist.* 3. apud Coustant.

provinciales nisi mandatam cognitionem exercuisse: *Valentinae*, inquit, *nos Clerici civitatis adierant proponentes per libellum crimina, quae Maximum teste tota provincia asserunt commisisse; delegata toties cognitione, illum constituta semper subterfugisse judicia....qui e contrario probavit de se illa, quae dicta sunt, qui ad ea confutanda cum essent innumera, a decessoribus meis provinciali delegata cognitione, conventus etiam dicitur evitasse, et adesse minime voluisse....Debueram quidem jam tunc dignam pro ejus accusatis in nostro judicio actibus, qui cognitionem, et decretum judicium saepe declinando credidit illudendum, ferre sententiam: at ne aliquis praecocem forsitan judicaret, et sibi qui absens est, licet sit quaesitus a nobis, reservatum esse nihil diceret, maluimus intercapedine temporis data differri.....Nos autem per omnes provincias literas dirigimus, ne excusationem sibi ignorationis obtendat, ut ad provinciam venire cogatur, et illic se constituto praesentare judicio. Quidquid autem vestra caritas de caussa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est auctoritate firmare.* Haec Bonifacius; e qui-

bus praeter ea, quae supra diximus, illud quoque nosse datur, Episcoporum accusatores in Occidente (quod mox pluribus aliis exemplis disertius ostendetur) non ad Metropolitanos, sed ad Romanam sedem αμεσως eorum nomina saepe detulisse. Idemque Bonifacius Patrocli Arelatensis caussam, quem clerus et plebs Lutubensis per libellos ad se missos accusabant, quod nescio quem in aliena provincia in demortui Episcopi locum substituerat, Hilarii Narbonensis Metropolitae judicio his delegavit verbis (1): *Accede ad eum locum, in quo ordinatio talis celebrata dicitur, intelligens arbitrio tuo secundum regulas Patrum, quaecumque facienda sunt, a nobis esse concessa, ita ut peractis omnibus, Apostolicae sedi, quidquid statueris, te referente, clarescat.* Tum post Bonifacium Caelestinus eadem epistola, de qua modo mentio est injecta, Massiliensis Praesulis caussam, quem in alterius Episcopi necem consensisse fama ferebat, provinciali concilio discutiendam mandavit. Deinde Hilarus Papa, postquam de Hermae facinore, qui Ecclesiam Narbo-

(1) *Epist. 12. ad Hilarium Narbon. ibidem.*

nensem contra jus occupaverat, certior est factus, Leontio Arelatensi mandavit (1), ut illius caussam in synodo judicaret; quae postea in Romana synodo, eum, quem supra exposuimus, exitum habuit. Nec non idem Pontifex, cum Leontio, ejusque synodo disceptandam commisisset caussam Mamerti Viennensis, quem extra suos fines Deensium Episcopum ordinasse e quodam militum Magistro acceperat, post synodicam relationem decrevit, ut Mamertus moneretur, ne in posterum talia perpetraret, et Deensis Episcopi consecrationem ratam haberet Leontius, a quo fieri debebat (2).

Atque infinitus profecto essem, si omnia hujus generis documenta ad posteriores aetates spectantia percensere heic vellem: quare, ne lectoribus fastidium creem, unum aut alterum dumtaxat VI. saeculi exemplum subnectere contentus ero. Sane legimus Ioannem II. qui sub initium imperii Iustiniani Pontifex est factus, Caesario Arelatensi Metropolitae imperasse, ut de Contumelioso Episcopo, qui gravi crimine arcessitus

(1) *Epist.* 7. Hilari *Tom.* V. *Concil.*
(2) *Epist.* 9. et 11. Hilari *eodem Tom. Concil.*

Digitized by Google

fuerat, quaestionem in synodo haberet (1); eumdemque, relatione a synodi Episcopis accepta, hanc pronunciasse sententiam: *Quia hujusmodi persona sacris non potest inhaerere mysteriis, ab hodierno officio eum nostra censet removere auctoritas, ut in monasterio constitutus delicti veniam a Domino petere non omittat* (2). Ac non ita multis post annis Auxanio Arelatensi Praetextati Episcopi caussam a Vigilio Pontifice commissam fuisse, hujus epistola certos nos facit (3). E quibus omnibus plane constat, quam magna auctoritate in Gallicanorum Antistitum caussis disceptandis Romana sedes olim polleret; ut proinde dubium nullum sit, quin omni jure in Episcopos animadvertendi inscio Pontifice, synodi provinciales caruerint. Quapropter cum damnatos, atque exauctoratos a conciliis Episcopos tradunt vetusti scriptores (tradunt autem saepissime), omnino existimare debemus hujusmodi judicia, modo legitima habita sint, a summis Pontificibus confirmata fuisse.

---

(1) *Epist.* 6. Joannis II. *ad Caesarium Arelat. ibidem.*

(2) *Epist.* 4. Joannis II. *ibidem.*

(3) *Epist.* 8. *ad Auxanium Arelat. ibidem.*

Id certe et expresse significant antiqua monumenta, quae hactenus produximus, et ratio ipsa suadet, praesertim si de Metropolitanorum damnatione agitur; ea enim haudquaquam pati videtur, pares in parem, multoque minus in superiorem inferiores imperio uti.

Nunc ad postremum illud synodos indicendi jus, quod semper in Gallicas Ecclesias obtinuere Romani Pontifices, gradum facere est necesse. Et quidem praeter concilium Romanum contra Auxentium quarto saeculo coactum, ad quod accitos etiam Galliae Episcopos, narrante Theodoreto, jam notavimus, insequenti saeculo se nobis considerandum offert frequens Episcoporum conventus, qui ad celebrandam Hilari Papae inaugurationem Romae habitus fuit. Inter hos, ut ex concilii actis fit palam (1), inveniuntur duo Galli Episcopi, videlicet Ebredunensis, et Avenionensis, quos missos esse Pontifici gratulatum a toto Gallicanorum Praesulum corpore probabili ratione conjicere possumus. Sed utcumque haec accipiatur conjectura, illud certe negari nequit, eos cum aliis Patribus synodi de-

(1) *Tom. V. Concil.*

cretis subscripsisse; quod manifesto est indicio, ejusdem synodi participes habitos fuisse. Ineunte vero saeculo VI. cum ad concilium Romanum, ubi Symmachi Pontificis caussa agebatur, e Gallia Episcopi vocati essent, ii responderunt se cupere quidem ad Urbem venire, atque ita officio suo fungi, sed ne id facerent, temporum calamitate prohiberi. En quae ad Faustum, et Symmachum Senatores omnium nomine scripsit Avitus Viennensis Antistes (2): *Primum fuerat talis status rerum desiderandus, ut ipsi per nos urbem Orbi venerabilem pro dependendis divinis, humanisque expeteremus officiis. Sed quia id jamdudum per rationem temporum fieri posse cessavit, vellemus quod fatendum est vel eo securitatis accedere, ut quae in caussa communi supplicari oportet, amplitudo vestra congregatorum Galliae Sacerdotum relatione cognosceret.* Quibus verbis ostendunt se jus synodos ex Gallia quoque convocandi in Romana sede agnoscere. Tum concilio Romano ab Agathone an. 680 contra Monotheletas coacto affuisse

(2) *Epist.* Aviti Vienn. *ad Faustum, et Symmachum* etc. *ibidem.*

Episcopos Gallos, synodica testatur ejusdem concilii ad synodum VI. oecumenicam, cujus supra facta est mentio. Ad haec cum saeculo VIII. celebranda esset sub Stephano III. Romae synodus adversus Pseudopontificem Constantinum, ad eam rogatu Papae convenisse duodecim Galliarum Episcopos doctrina, ac pietate illustriores auctor est Anastasius Bibliothecarius (1). Sed quid exempla ad hoc probandum coacervare opus est, cum exploratum sit in Gallia (ut nihil de aliis Occidentis regionibus nunc dicam), praeter ordinarias provinciales synodos, majores conventus sine Romani Pontificis jussu non potuisse agi? Profecto hoc expressis verbis tradit Leo Magnus laudata epistola, quam ad Viennensis provinciae Episcopos post Romanum concilium dedit, atque in Hilarium Arelatensem ob adrogatum sibi jus majores convocandi synodos graviter invehitur (2): *Suis*, inquit, *unaquaeque provincia sit contenta conciliis; nec ultra Hilarius audeat conventus indicere synodales, et Sacerdotum Domini judicia, se interserendo,*

(1) In *vita Stephani* III.
(2) *Epist.* 89.

turbare. Quapropter in eadem epistola praescribit, ut sine consensu Leontii (qui erat antiquior Viennensis provinciae Episcopus), alterius provinciae concilium minime indicatur. Atque hinc intelligitur, cur Hilarus Leonis successor ad Episcopos diversarum Galliae provinciarum scribat, ut omnes Metropolitani, et Episcopi ad concilia coacta a Leontio Arelatensi suo Vicario quotannis conveniant (1). Eodemque pacto Hormisdas Pontifex sub VI. saeculi initium Remigio Rhemensi Episcopo vices suas in Gallia delegans inter alia praecipit, ut quoties necessitas postulet, generale concilium cogat, et quidquid sit ibi constitutum, ad suam *scientiam instructa relationis attestatione perveniat* (2). E quibus Hormisdae verbis insuper erudimur, non modo nullum convocari concilium, sed neque aliquid gravius negotium, insciente Pontifice, potuisse decerni. Nec vero unus Hormisdas hac loquendi ratione usus est, sed alii quoque Pontifices, cum aliquem vicaria potestate augebant. Sic et Vigilius, qui Romanam, imperante Justiniano, tenuit

(1) *Epist.* 10. *Tom.* V. *Concil.*
(2) *Epist.* 1. *ibidem*

cathedram, data ad Galliae Episcopos epistola, se vices suas Auxanio Arelatensi commisisse significat, atque haec addit (1): *ut si aliqua emerserit contentio, congregatis ibi fratribus, et coepiscopis nostris caussas canonica, et Apostolica auctoritate discutiens Deo placita aequitate definiat. Contentiones vero si quae in Fidei caussa contigerint, aut emerserit forte negotium, quod pro magnitudine sua Apostolicae magis sedis debeat judicio terminari, ad nostram discussa veritate perferat sine dilatione notitiam*. Eadem ferme habent tum idem Vigilius altera ad Galliae Episcopos epistola, cum mortuo Auxanio, Aurelianum Arelatensem suum fecit Vicarium (2); tum Magnus Gregorius ad Virgilium Arelatensem (3), et ad Gallicanos Antistites scribens (4).

Post tot, tantaque veterum monumenta, quae tantum non clamant exarchica potestate in Gallicanas Ecclesias, maximeque quod ad synodo-

(1) *Epist.* 9. *ibidem*.
(2) *Epist.* 11. *ibidem*.
(3) *Lib.* V. *epist.* 53.
(4) *Lib.* IX. *epist.* 106.

rum indictionem attinet, potitos fuisse Romanos Antistites, quis audaciam ferat P. de Marca asserentis in sua *Concordia* (1) Nicolai I. tempore, nono scilicet saeculo, Gallorum Episcopos ad concilium invitatos, quod Romae in caussa Lotharii Regis habebatur, cum callidum Pontificis consilium praesensissent, quo ipsos novo jugo subjicere conabatur, ad id eludendum variis usos fuisse excusationibus? Enimvero ipsemet in eodem opere his contraria docuerat, cum ita scripsit (2): *Legatos suos* (Gallos) *ad concilium Romanum misisse, cum caussa Fidei adversus haereticos esset statuenda, docet synodus Romana habita sub Damaso apud Theodoretum, et Occidentalium synodus sub Agathone, cui tres Galliarum legati interfuere.* Cur igitur veluti eorum oblitus, quae antea scripserat, novum atque insolens Nicolai postulatum demonstrare nititur? Sed secum tam turpiter pugnare hoc loco haud valde miramur istum scriptorem, quem facile ab una in alteram sententiam, ubi temporum ratio suaderet, migrare so-

(1) *Lib.* VI. *Cap.* 14.
(2) *Lib.* I. *Cap.* 7.

litum novimus. Miramur potius Jacobum Josephum Dughetium adeo partium studio se abripi sivisse, ut haec non viderit, et in Archiepiscopi Parisiensis verba jurare addictus, a Nicolao primum Galliarum Praesules Romam ad concilium vocatos docuerit (1). Atqui falsi eos coarguit, praeter illa, quae paullo ante posuimus, Nicolaus ipse, cum ad Gallos Episcopos de schismate Photiano alias scribens (2): *Praecipue*, inquit, *cum non solum propter hujusmodi generalis Ecclesiae negotium, sed etiam pro specialis hujus sedis exorta caussa praedecessores vestri una cum praedecessoribus nostris hic soliti sint non immerito convenire.* Neque id, quod ait hic Nicolaus, inficiantur Galli Episcopi in suis ad eum epistolis: licet enim varias excusationes afferre studeant, cur Romam non proficiscantur; fatentur tamen se debere, et cupere Pontifici ad concilium vocanti obtemperare; quemadmodum videre est apud Baronium, qui refert epistolas Adventii Metensis, et Ratholdi Argenti-

(1) *Citat. Dissertat.* 58.
(2) *Epist.* 70 *Tom.* IX. *Concil.*

nensis Antistitis ad Nicolaum (1). Sed prae ceteris audiendus videtur Hincmarus Rhemensis, quem ceu vindicem acerrimum Gallicanae Ecclesiae libertatum jactitare solent nostri adversarii. Is quidem missis ad Nicolaum literis, haec inter alia habet notatu digna (2): *Dignum, et justum est, ut quemcumque Episcopum Romanus Pontifex ad se Romam venire mandaverit, si infirmitas, aut gravior quaecumque necessitas, aut impossibilitas, sicut sacri praefigunt canones, eum non detinuerit, ad eum venire studeat.* Unde clare vides Galliarum Antistites haud ideo Romam ad synodum venire recusasse, quia verebantur, ne novo jugo subderentur, quod de Marca somniavit; neque enim negare poterant a prioribus usque Ecclesiae aetatibus suos majores ad Romanas synodos advocari consuevisse: verum quod certis quibusdam caussis prohibebantur, quominus, ut ipsi optabant, ac debebant, Romam accedere possent.

---

(1) In *Annal. ad an.* 864.
(2) Ex Flodoard. *lib.* III. *Histor. Rhemens. Cap.* 13.

Articulus 5.

Romani Patriarchatus finibus comprehensas fuisse Hispanicas provincias probatur.

De Hispania dicturi praecipere lectoribos e re ducimus, haud multas superesse veterum chartas, quae patriarchicum Pontificum jus in hanc regionem enuncient; sed tamen illas esse ejusmodi, quae nostram caussam mirifice adjuvent, nullumque dubitandi locum relinquant. Ac primo, quod ad jus synodos indicendi, obversantur nobis Leonis Magni ad Turibium Asturicensem literae, quibus Pontifex certior de malis factus, quae in dies Priscillianistarum caussa in Hispania gliscebant, ex omnibus provinciis concilium cogere, illisque malis obviam ire jubet (1). Unde sane apparet, potestatem synodos ex tota Hispania convocandi, quemadmodum et de Gallia vidimus, penes Romanam sedem fuisse: quod plane ostendit Hispaniensis dioecesis Episcopos illius Patriarchatui fuisse subjectos; in toto enim Oriente

(1) *Epist. 93. ad Turibium Asturic.*

ex pluribus provinciis saepissime sine ulla Pontificis auctoritate synodi congregabantur. Id ipsum autem ex Hormisdae epistola luculentius cognoscimus, qua ille ad Sallustium Hispalensem scribens, suumque in Baetica, et Lusitania eum Vicarium creans, ita loquitur (1): *Quoties universalis poscit Religionis caussa, ad concilium te cuncti fratres evocante conveniant; et si quos eorum specialis negotii pulsat contentio, jurgia inter eos oborta compesce.* Tum eamdem clausulam subdit, quam soliti erant usurpare Pontifices, cum de caussis majoribns ageretur, ut scilicet omnium, quae in synodis statuerentur, relatio Romam mitteretur. *Quidquid autem,* inquit, *illic pro fide ex veteribus constitutis, vel provida dispositione praecipies, vel personae nostrae auctoritate firmaris, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perveniat.* Iisdem ferme verbis idem Pontifex utitur in epistola, quam ad Joannem Tarraconensem Metropolitanum dedit, cum eum reliquae Hispaniae vicaria potestate praeposuit (2).

---

(1) *Epist. 26. ad Sallustium Hispal. Tom.* V. *Concil.*
(2) *Epist.* 24. *ad Joannem Tarracon. Tom. eodem Concil.*

Ex his pariter intelligere datur, non potuisse in Hispaniae conciliis, aeque ac in ceteris Occidentis regionibus, nisi Romano Pontifice consulto, majores caussas definiri. Atque hujus quidem rei tria vetustiora exempla habemus: unum scilicet ex Cypriani literis ad Hispanos Episcopos, ubi ait Cornelium Pontificem, rata habita Hispaniensis synodi sententia, quae ob multa, et gravia crimina Basilidem Legionensem, et Martialem Asturicensem Antistitem damnaverat, decrevisse eos *ad poenitentiam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque sacerdotali honore prohiberi* (1). Alterum vero suppeditat concilium Toleti habitum anno 400 contra Priscilliani sectatores, ubi multis haereticis post ejuratos errores in communionem receptis, Episcopis quoque Gallaeciae eadem haeresi infectis communio promittitur, modo formulae Fidei a Patribus propositae subscribant, interea dum exspectatur, quid Romanus Pontifex de his rescribat (2). Demum tertium praebet synodus fortasse Tarracone congregata anno 464, quae comperto

(1) *Epist.* 68. edit. Pam.
(2) *Tom.* II. *Concil.*

crimine Sylvani, qui Episcopos consecrabat, inscio Metropolitano suo, de ea re ad Hilarum Papam refert, rogatque, ut quid agendum sit decernat: cui quidem relationi respondens Hilarus errati veniam Sylvano indulget, tantumque monet, ne in posterum quid simile admittere audeat. (1).

Haud tamen inficiamur sub Gothis regibus quandoque Hispanicas synodos, insciente Pontifice, Episcopos e sede expulisse, praesertim cum injuste, et contra canones in hujusmodi damnatione se gesserint: at vero Romani Antistites, ubi haec resciebant, synodos de officio admonere, latamque sententiam, si iniqua visa esset, infirmare non dubitabant. Ita sane cum duo Hispani Episcopi Joannes Malacitanus, et Stephanus a synodis Episcopatu destituti ad Gregorium M. appellassent, Pontifex Joannem Defensorem in Hispaniam mittit, eique mandat, ut si post caussam cognitam illos criminum, quorum insimulabantur, reos esse comperiat, prolatam sententiam Apostolica auctoritate roboret; sin aliter, Episcopos in sedes restituat,

(1) *Tom. V. Concil.*

synodosque damnantes debita poena afficiat. Id ex ejus epistola liquet ad modo dictum Joannem (1); cui etiam subnectitur Joannis sententia, qui veritate comperta, Januarium Malacitanum absolutum suae sedi restituit, Episcoposque, qui eum damnaverant, ex Pontificis mandato ad agendam poenitentiam in monasterium detrusit (2).

---

(1) *Lib.* XIII. *epist.* 45. *ad Joannem Defensorem.*

(2) Quid in Episcopi Stephani caussa egerit Joannes, omnino latet. Illud tamen de hac ipsa caussa addere non abs re erit, Gregorium, cum Stephanum audisset ab alieno concilio, sive alterius provinciae condemnatum fuisse, id inter alia Joanni praescripsisse, quemadmodum ex citata epistola apparet, ut Hispanos Episcopos de Justiniani Novella 123. admoneret, per quam edicebatur, ut Episcoporum caussae a suis Metropolitis dijudicarentur, vel si appellatio interponeretur, a suis Patriarchis. Tum post recitatum Novellae locum haec adjungit: *Contra haec si dictum fuerit, quod nec Metropolitanum habuit, nec Patriarcham, dicendum est, quia a sede Apostolica, quae omnium Ecclesiarum caput est, caussa haec audienda, ac dirimenda fuerat.* Quibus e verbis duo nullo negotio conficere possumus: unum scilicet quod licet Romanus Antistes a Justiniano Novel. 109, et a Graecis scriptoribus Occidentis Patriarcha nuncupa-

Jam si de Episcoporum consecratione quaeratur, quamvis ii in suis provinciis a Metropolitanis consecrarentur ob itineris difficultatem, quaedam tamen regulae ipsis a Romana Ecclesia praestitutae erant, quas omnino sequi deberent. Hujus rei vadem damus Innocentium I. qui literis ad Toletanos Episcopos, seu Toletanae synodi datis, postquam de ordinationibus contra canones peractis questus est, id inter alia decernit, ut secundum Nicaenos canones ordinentur Episcopi Metropolitarum auctoritate, et Metropolitae consecrentur in provinciae synodo (1).

---

tus sit; tamen neque Occidentis Episcopi Patriarchae appellationem Pontificibus unquam tribuerunt, neque ipsi Pontifices hoc nomen sibi adscivere, ne ob supremam potestatem in totam Ecclesiam R. sedi adjunctam, dedecorari potius illo, quam honestari viderentur. Alterum est, Gregorium heic tacite se Patriarcham fateri: cum enim dicat Stephani caussam a *sede Apostolica, quae omnium Ecclesiarum caput est, dirimendam fuisse*, id quidem non aliter, quam de potestate patriarchica explicari potest; siqnidem Pontifices ut summi Ecclesiae Pastores nunquam Episcoporum Orientis caussas, nisi ad se appellaretur, disceptandas susceperunt.

(1) *Epist.* 3. *Tom.* I. *Epist.* R. *Pontificum* P. Coustant.

Praeterea Toletana synodus IV. Episcopos eligendos statuit *secundum synodalia, vel decretalia instituta*, idest Decreta R. Pontificum (1). Quaenam autem fuerint ea Apostolicae sedis statuta, non aperit synodus; at judicare licet eadem non multum diversa ab iis fuisse, quae in Gallia vigebant, quaeque Innocentius laudata epistola praescripserat. Itaque minime dubitari posse videtur, quin in Metropolitarum electione Pontificis requireretur assensus, licet nullum exstet documentum, quod sciam, unde id planum fiat. Ecquis enim sibi persuadeat, hujusmodi jus Hispanorum gratia neglexisse Romanos Antistites, quod tanto studio in aliis locis, ac praecipue in Gallia, uti vidimus, tuebantur? Sed nihil aptius, ac melius demonstrare videtur absolutam Hispanos Episcopos consecrandi Romano Pontifici potestatem fuisse, quam quod per Toletanam synodum anni 681. Antistiti Toletano quosvis in Hispania creandi Episcopos facultas tributa est hoc canone: *Licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoscumque regalis potentia elegerit, et jam dicti*

(1) *Concil. Tolet.* IV. *can.* 19. *Tom.* VI. *Concil.*

Toletani Episcopi judicio dignos esse probaverit, in quibuslibet provinciis in praecedentium sedibus praeficere Praesules, et decedentibus Episcopis eligere successores; ita tamen, ut quisquis ille fuerit ordinatus, post ordinationis suae tempus infra trium mensium spatium proprii Metropolitani praesentiam visurus accedat (1). Nam cum ea aetate Toletanus Episcopus ex delegatione Apostolicae sedis esset Hispaniae Primas; secus enim pluribus conciliis ex universa ea regione Toleti congregatis praesidere nequivisset: novo hoc amplissimo munere a synodi Patribus augeri non potuit sine Pontificis auctoritate, ad quem ex veteri consuetudine acta synodica necessario transmitti debuerunt. Quamobrem ratum habens citatum canonem Romanus Praesul nil aliud egit, nisi quod eodem privilegio Toletanam sedem ornavit, quo ipse in Hispanos Episcopos jam inde ab initio fruebatur. Et re sane vera finge Hispanicas Ecclesias patriarchicae Romanae urbis jurisdictioni minime paruisse, et Toletanum Episcopum sine Apostolicae sedis assensu

(1) *Concil. Tolet.* XII. *can.* 6. *Tom.* VII. *Concil.*

eam potestatem sibi vindicasse; quanam, rogo, de caussa antiquos canones, majorumque instituta impune proculcari, ac novum morem tantopere disciplinae ubique receptae adversum induci Pontifices passi essent? Si enim Leo Magnus, ejusque successores diu Constantinopolitanorum Antistitum ambitioni restiterunt, quod vetustissimos Patriarchas Alexandrinum, atque Antiochenum suo subdere vellent imperio; anne censebimus Romanam sedem aequo animo ferre potuisse Toletanum Episcopum sibi alios Hispaniae Metropolitanos subjicere, atque exarchicum in eos jus jactitare? Mitto quod vix credi potest Toletani concilii Episcopos omnes ad evertenda Pontificum statuta conspirasse, quorum majores centum circiter ante annis, generali in eadem urbe conventu habito, adeo Apostolicam sedem reveriti sunt, ut haec unanimi suffragio decreverint (1): *Maneant in suo vigore conciliorum omnium constituta, simul et synodicae sanctorum Praesulum Romanorum epistolae.* Nec porro suspicari licet Julianum virum sanctissimum, qui tunc temporis Toleti Metropolitanus

(1) *Concil. Tolet.* III, *cap.* 1.

erat, ambitione ac superbia ductum tantum facinus admittere voluisse. Quare omnino statuendum videtur, privilegium illud in Toletanos Metropolitas ex Pontificis beneficio esse profectum; ac propterea inde magis ac magis patriarchalem potestatem comprobari, quam in universas Hispaniae Ecclesias Romanam sedem obtinuisse diximus.

Articulus 6.

Romanus Patriarchatus ad Africam pertigisse ostenditur.

Venimus tandem ad Africam, eam nempe Occidentis regionem, quam nostri adversarii omnium maxime patriarchali Romanae sedis imperio eripere conantur; eaque de caussa mirum quantum Carthaginiensis Antistitis auctoritatem extollunt, quem totius Africanae dioecesis Exarchum fuisse volunt. Contra ea nos magnam in cunctas Africae provincias Carthaginiensis Episcopi exstitisse potestatem non diffitentes, illam, quantacumque demum fuerit, ab unis Romanis Pontificibus ortum habuisse contendimus: qui quidem licet vicem suam perpetuo Ecclesiae Carthaginiensi

commiserint, supremum tamen patriarchicum jus, praesertim in majoribus Episcoporum caussis dijudicandis semper retinuerunt, uti plura veterum testimonia plane evincunt. Atque ut a Carthaginiensis Episcopi privilegiis initium ducamus, eum e tota Africa synodos coëgisse ex conciliorum Collectionibus explorata res est. Tum eidem in quavis provincia Episcopos initiare licitum fuisse, concilii generalis Africae Carthagine anno 398. habiti acta nos docent (1). Verum isthaec privilegia Carthaginiensi Ecclesiae a Romana sede concessa fuisse disertissime tradit Leo IX. ad Petrum, et Ioannem Africae Episcopos ita scribens (2). *Sine dubio post Romanum Pontificem primus Archiepiscopus, et totius Africae maximus Metropolitanus est Carthaginiensis Episcopus, nec pro aliquo Episcopo in tota Africa potest perdere privilegium semel susceptum a sancta Romana, et Apostolica sede.* Imo, ut omnem excludat dubitationem, haec subdit: *hoc, quod majus est, ex venerabilium praedecessorum nostrorum Romanorum Pon-*

(1) *Tom.* II. *Concil*, et *can.* 55. *Eccl. Afric.*
(2) *Epist.* 4. *Tom.* XI. *Concil.*

tificum decretis aperte monstratur. Neque hujus Apostolici beneficii unum Leonem IX. testem citamus, quem facile repudiabunt adversarii, quia sequiori aevo, idest saeculo undecimo floruit; sed etiam vetustioris aetatis Pontifices, nimirum Gregorium Magnum, Agapetum, et Siricium quoque, qui aliis antiquior quarto vixit saeculo. Et quidem Gregorius vix inito Pontificatu, cum literas a Dominico Carthaginiensi Praesule accepisset, quibus ille de nova dignitate ei gratulabatur, simulque vetera Ecclesiae suae privilegia confirmari exoptabat, hoc pacto respondit (1): *De Ecclesiasticis vero privilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quod sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus.* Quid apertius, ac planius? Agapetus vero, sexaginta prope annis ante Gregorii Pontificatum ad Reparatum Carthaginiensem rescribens, qui post liberatam a Vandalis Africam, cum totius ejus regionis concilio ad Romanam sedem literas miserat, haec extrema epistola inquit (2): *Universa,*

(1) Lib. II *epist.* 47.
(2) Epist. 3. Tom. V. *Concil.*

quae inimicorum perversitas invaserat, caritati tuae metropolitana jura reparantes hortamur, ut ea quae tuo, vel aliorum nomine rescripsimus, universis debeas innotescere. En hic Agapetus, Ioannis II. successor, ad quem Reparatus scripserat, reparat, sive instaurat jura antiquitus metropolitanae Carthaginiensi Ecclesiae concessa. Unde illud praeterea pronum est intelligere, Metropolitanos Carthaginienses a novis Pontificibus petere solitos, ut sua privilegia firmarent. Epistolam demum Siricii habemus ad Afros Episcopos missam; e qua decerpti fuerunt novem canones concilii Telensis, seu Zellensis, sive ut alii volunt Teleptensis, a Ferrando Carthaginiensi Diacono in sua *Breviatione canonum* descripti. Hujus autem epistolae (1), cujus αὐθεντίαν omnes Eruditi agnoscunt, frustra repugnante uno Paschasio Quesnellio (2), primus canon sic se habet: *ut extra conscientiam sedis Apostolicae, hoc est Primatis, nemo audeat ordinare.* Ubi ex Siricio vides idem valere conscientiam Pri-

(1) *Epist.* 5. apud Coustant. *Tom.* I. *Epist.* R. *Pontificum.*
(2) *Dissert.* 15. *ad S. Leonis opera.*

matis, sive Episcopi Carthaginiensis, ac sedis Apostolicae conscientiam; quod plane ostendit illum Pontificis Vicarium exstitisse. Quod si Primatis nomine non unum Carthaginiensem Antistitem, sed quemvis Africae Metropolitanum accipere mavis; hac etiam ratione in cunctis Africanis provinciis Metropolitani non ordinasse Episcopos, nisi ex pontificia delegatione dicendi sunt. At quoquo modo id Siricianae epistolae caput interpretari lubeat, inde optimo sane jure arguere cuique licebit, supremam in Africa Episcopos consecrandi potestatem penes Romanam sedem fuisse. Porro advertendum ducimus, nos Sicicianum canonem ex vulgata codicum lectione retulisse; neque enim latet nonnullos aliter legisse hoc pacto: *ut extra conscientiam sedis Apostolicae nemo ordinet Primatem.* Sed etiam hac admissa lectione, longe magis patriarchicum in Afros Episcopos Romanae sedis jus exsplendescit: siquidem inde cernitur non potuisse Carthaginiensem Metropolitanum, nisi consentiente Pontifice inaugurari, quod et in Gallia factum vidimus.

Vindicato jam Romano Antistiti in Africa consecrationum jure, reliqua nunc sunt persequenda, ac praecipue jus episcopales caussas

definiendi. Id enim a primis temporibus Apostolicam sedem exercuisse ex Cypriano compertum est; qui literis ad Cornelium Romanum datis narrat Privatum Lambesitanum Episcopum damnatum in synodo Africana 90. Episcoporum ob varia crimina *Fabiani literis severissime notatum esse* (1). Quibus profecto verbis aperte innuit Fabianum Pontificem Cornelii decessorem ad synodi literas rescribentem, gravissimam Privato notam inussisse, latam videlicet synodalem sententiam confirmasse. Praeterea Augustinus epistola ad Caelestinum Papam, qua eum rogat, ut Numidici concilii sententiam adversus Antonium Fussalensem Episcopum latam sua auctoritate roborare velit, sic in nostram rem loquitur (2): *Exsistunt exempla, ipsa sede Apostolica judicante, vel aliorum judicata firmante, quosdam pro caussis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos.* Unde quidem satis superque patet Apostolicam sedem non solum conciliorum Africae sententias in caussis Episcopalibus firmare, sed

(1) *Epist.* 55. edit. Pamel.
(2) *Epist.* 209. ed. Maur.

etiam illas per se ἀμέσως judicare consuevisse. Neque est, quod cum Petro Coustantio (1) reponas, haec eo tantum paucorum annorum intervallo accidisse, quod ab orta de appellationibus sub Zosimo controversia usque ad illud tempus effluxit, quo Nicaenorum canonum exemplar ex urbe Alexandria in Africam perlatum fuit. Nam recitatis verbis statim haec subnectit Augustinus: *Quae ut a nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo.* Unde meridiana luce clarius patet S. Doctorem non modo suae aetatis exempla, quorum nonnulla commemorat, sed etiam a suis temporibus remotissima spectare voluisse, sive ea quae tum quinto saeculo, quo haec scribebat, tum superioribus saeculis contigerant (2).

---

(1) Videsis ejus adnotationes ad has Augustini literas, quas Caelestini epistolis adjunxit in *Tom.* I. *Epis. Roman. Pontificum.*

(2) Adeo manifeste hic Augustini locus summam Romani Pontificis in Africanorum Episcoporum caussis potestatem prodit, ut tanti testimonii auctoritate non leviter se commotum ostendat Dupinius *Dissert* II. *de ant. Eccles. discipl. cap.* 2. §. 3. Itaque primo Augustinianae epistolae αὐθεντίαν in dubium revocare cona-

Sed ne putes post allata ex Aegypto Carthaginem Nicaena exemplaria non ultra Africanis judiciis

---

tur, una aut altera levissimi sane ponderis ratiuncula fretus. Deinde cernens se id non facile literato Orbi persuasurum esse, eamdem genuinum Hipponensis Doctoris foetum agnoscit, sed ita interpretatur, ut miserandum in modum illius sententiam depravet, et corrumpat. Etenim contendit Augustinum, cum exsistere ait *exempla ipsa sede Apostolica judicante*, non de Afrorum caussis, sed de judiciis ad provincias suburbicarias pertinentibus locutum esse; quamvis his addiderit tria Afrorum Praesulum exempla ad Romanam sedem eo tempore appellantium, quo Nicaeni concilii exemplaria exspectabantur. Verum interpretatio ista aliena est prorsus ab auctoris mente; ex sermonis enim contextu patet eum demonstrandum suscepisse, non posse Antonium Fussalensem de lata sententia queri, quia multa in Africa exstabant similium judiciorum exempla vetusta et recentia; e quibus tamen tria tantum recentia commemoravit. Nam si Italiae quoque Episcopos, ut putat Dupinius, intelligere volebat, aliquem saltem Italum, praeter Afros Priscum, Victorem, et Laurentium, afferre debuisset; vel si solos Afros citare placebat, certe dixisset se aliarum regionum Episcopos omittere; eoque magis, quod suburbicariarum provinciarum exempla Africanis adjuncta ad permovendum Pontificis ani-

se immiscuisse Romanos Pontifices, ecce tibi decretalis epistola bene longa Leonis Magni ad Mauritaniae Episcopos medio circiter quinto saeculo scripta (1). Nullum profecto in tota Antiquitate Ecclesiastica invenitur monumentum, quod epistola hac sit aptius, atque illustrius ad supremam Romanae Ecclesiae in Episcoporum Afrorum caussis majoribus jurisdictionem declarandam. Quare temperare mihi non possum, quin ejusdem epistolae, quam omnes emunctae naris Critici genuinum Leonis opus fatentur, praecipua saltem capita percenseam (2). Principio itaque Pontifex vigilantissimus ait, se ex sermone Romam commeantium cognovisse, Episcoporum consecrationes plures contra jus fasque in Africa fuisse peractas, ideoque Potentium legatum illuc misisse, qui omnia, quae nunciata erant, diligenter exquireret, atque ad

---

mum maxime valuissent. Quod quidem cum non fecerit, satis indicavit, se de Episcopis tantum Africanae dioecesis loqui velle.

(1) Epist. 87.

(2) Cum haec epistola in plura capita dissecta sit, unus Quesnellius in sua operum S. Leonis editione alterum ejusdem caput, ubi de Lupicino agitur, rejicere ut spurium conatus est, temere tamen, ut infra videbimus.

*

se referret. Deinde addit se de rerum veritate certiorem factum nonnulla decernere, quae vult omnino executioni mandentur. Ex his statuit I. ut qui Episcopi talem consecrarint Sacerdotem, qualem non liceat, ordinandi jure spolientur; II. ut qui Episcopi secundas inierunt nuptias, multoque magis is, qui simul duarum uxorum est maritus, honore prorsus priventur; III. ut ceteri, qui tantum ex laicis facti erant Episcopi, ex indulgentia susceptum Sacerdotium retineant; IV. ut Lupicino Episcopo, qui ad sedem Apostolicam provocaverat, communio reddatur, dum ejus caussa discutitur; V. ut Donatus e Novatiana secta resipiscens Episcopatum retineat, modo fidei suae libellum Romam mittat: idemque de Maximo servetur, qui ex laico ordinatus erat Episcopus, si jam non fit Donatista, et Catholicum se esse declaret; VI. ut Aggaei, et Tyberiani, qui laici Episcopatum adepti erant, in synodo agitetur caussa, et quidquid ibi sit definitum, ad se referatur. Tandem ita concludit: *Si vero aliae emerserint caussae, quae ad statum Ecclesiarum, et ad concordiam pertinent Sacerdotum, illic cum timore Domini volumus ventilentur, et de componendis, atque compositis omnibus ad nos relatio plena mittatur, ut ea quae juxta Ec-*

clesiasticum morem juste et rationabiliter fuerint definita, mea quoque sententia roborentur. Atque haec sunt Leonis decreta: e quibus aperte discimus quaedam Episcoporum judicia per se illum exercuisse, quaedam vero alia ad synodos ita rejecisse, ut eae dumtaxat mandata jurisdictione uterentur, et sententiam postremo pronunciandam Pontifici reservarent. His adde, quod Afrum Episcopum ad Romanam sedem provocantem haec eadem epistola nobis prodit haud multis post celebrem Apiarii controversiam annis; quod tamen sero tandem factum adversarii volunt. Sed de ista Apiarii controversia, de qua magnas excitant tragoedias appellationum pontificiarum osores, alius erit opportunior dicendi locus. Interim ex iis, quae huc usque dicta sunt, videtur non posse negari, omni jure patriarchico in Africanas Ecclesias Romanos Antistites potitos fuisse. Imo si de synodorum indictione loquamur, quamvis in suis provinciis Episcopos congregari sinerent Pontifices, interdum ex Africa ad Romanum concilium eos arcessitos novimus. Nam sub quinti saeculi finem cum frequens Romae sub Felice III. celebraretur concilium Afrorum caussa, qui saeviente Hunerici Vandalorum Regis insectatione erant lapsi, ei-

dem interfuisse quatuor Episcopos illius regionis concilii acta memorant (1). Quod utique, ut alia omnia desint, manifesto est indicio illos ad Romanum concilium pertinuisse.

Et quoniam de hoc concilio mentionem fecimus, non abs re erit advertere ea, quae in ipso decreta sunt, haud in eminentem illam potestatem quadrare, qua Pontifex totum Christi gregem regit, ac moderatur, sed potius, ac directius jurisdictioni Patriarcharum propriae congruere. Non enim imperare sat habuit Felix, ut poenitentiae opera susciperent errantes, et canonum severa disciplina inoffensa servaretur; sed modum, ac formam quoque poenitentiae pro cujusque culpa, statu, atque aetate praescripsit. Nimirum praecepit I. ut Episcopi, Presbyteri, et Diaconi, qui vel ultro, vel cruciatuum vi victi se iterum baptismo ablui passi erant, omni gradu Ecclesiastico dimoti, perpetuaeque poenitentiae subjecti, ad laicam communionem in exitu tantum vitae admitterentur; II. ut reliqui clerici cum monachis, virginibus, et laicis, qui nullo metu adacti peccaverant, duodecim annorum

(1) *Tom. V. Concil.*

poenitentiam subirent; III. ut iisdem, si tormentorum atrocitate lapsi essent, poenitentia ad trium annorum spatium coarctaretur; IV. ut pueris communio non redderetur, nisi postquam aliquo temporis intervallo laboriosis poenitentiae operibus suum crimen expiassent; V. ut Catechumeni, qui baptismum ab Arianis acceperant, annos tres in audientium classe transigerent, inde cum aliis fidelibus aliquandiu orarent, donec communione digni censerentur. Haec, aliaque his similia, quae synodus Romana propter Afros in Vandalorum insectatione lapsos sancivit, adversarios nostros rogamus, num quando legerint ab Apostolica sede praescripta fuisse Ecclesiae Alexandrinae, vel Antiochenae, vel aliis suo Patriarchatui minime subjectis, ad eos Deo reconciliandos, qui in haeresim Nestorii, aut Eutychetis, aut Iconoclastarum forte incidissent? Profecto nullum exemplum proferre poterunt, quo orientalium regionum Christianis post detestatam haeresim pro diverso culpae genere, pro diversa aetate varias poenitentiae rationes, varia poenitendi spatia praestituerint Pontifices. Quid ergo impulisse Romani concilii Patres dicemus, ut praeter morem, et consuetudinem sic erga Africanas Ecclesias se gererent, si extra Patriarchatus Romani fines, ut volunt, illae censerentur?

Antequam ex Africana dioecesi discedamus, atque huic capiti extremam manum imponamus, bene multa de hac re documenta, quae nobis exhibent Gregorii Magni epistolae, praeterire fine piaculo haud posse videmur. Nam etsi quae modo dicta sunt, nostro proposito sufficere queunt; haec alia tamen, quae illis attexemus, non dubitamus quin majorem vim ad cujusvis pervicaciam frangendam sint habitura. Heic autem sex dumtaxat epistolarum, quae ad rem nostram magis facere videntur, argumenta paucis exponere in animo est, eoque ordine, quo in editione Maurina operum D. Gregorii occurrunt. Primo itaque Pontifex ad Hilarum Africae monachum scribens, ei imperat, ut coacto concilio in Argentium Lamigensis Ecclesiae Episcopum inquirat, quem duo ejusdem Ecclesiae Diaconi de injuria sibi illata, et de gravi alio crimine apud sedem Romanam oblato libello accusaverant (1). Tum aliis literis Columbo Numidiae Episcopo significat ad se perlatum fuisse grave Maximiani Pudentianae Antistitis facinus, quod scilicet pecunia corruptus Donatistam Episcopum cuidam Ecclesiae

(1) *Lib.* I. *ep.* 84.

praeficiendum curaverat; eique mandat, ut ad illius caussam disceptandam synodum congreget, et comperto crimine Episcopatu dejiciat (1). Deinde cum ad eum appellasset quidam presbyter Byzacenae provinciae Adeodatus nomine, qui ab Episcopo suo Ecclesia privatus fuerat, per epistolam Clementio ejusdem provinciae Primati negotium dat, ut si illum presbyterum ob solam aegritudinis caussam suae Ecclesiae defuisse resciverit, in locum suum restituat (2). Idem postea Pontifex post acceptam concilii generalis Africani relationem, quod ad compescendos Donatistas convocari jusserat, ad Dominicum Carthaginiensem Antistitem rescribit se nullo pacto sententiam severiorem probare posse a concilio in Episcopos negligentes latam, qua dignitatum privatione plectendos censebat (3). Tum datis litteris ad Columbum Numidiae Antistitem, ait ad se de Paullino Episcopo querelam pervenisse, quod sacros ordines venderet: quare eum hortatur, ut cum Primate Victore concilium cogat, nec tan-

(1) *Lib.* II. *ep.* 48.
(2) *Lib.* IV. *ep.* 13.
(3) *Lib.* V. *ep.* 5.

Digitized by Google

tum malum invalescere sinat (1). Ad extremum vero cum apud sedem Apostolicam de quibusdam criminibus arcessitus esset Clementius Byzacenae provinciae Metropolitanus, Episcopis ejus provinciae scripta epistola, praecipit ut diligenter, ac strenue de illis criminibus quaerant (2). Atque e Gregorii epistolis, in quibus de Africae rebus agitur, hae ferme magis notatu dignae visae sunt, quippe quae nos expresse doceant summa valuisse auctoritate, et potestate Romanos Pontifices tum in indicendis synodis, et corrigendis earum sententiis; tum in judicandis majoribus Episcoporum caussis, quae in prima cognitione ad suam sedem deduci solebant; tum denique in appellationibus etiam presbyterorum admittendis (3). Nec porro suspi-

(1) *Lib.* XII. *ep.* 27.

(2) *Lib.* XII. *ep.* 32.

(3) Praeter Adeodatum presbyterum, cujus modo meminimus, diaconum quoque Donadeum ad Apostolicam sedem a sui Episcopi judicio provocasse nos docet Gregorii ad Columbum Numidiae Praesulem scripta epistola. In ea, quae est 8. *lib.* XII, Pontifex Columbo mandat, ut illius diaconi caussam cum provinciae Primate cognoscat, et si innocens inveniatur, digna

Digitized by Google

cari licet Gregorium primum hac agendi ratione usum esse: siquidem haud rationi consentaneum est opinari virum sanctissimum, qui *singulis*

---

poena afficiatur Victor Episcopus, qui eum damnaverat. Unde intelligere datur non solum Episcopos, et presbyteros, sed alios etiam inferiores clericos Gregorii aetate, id est saeculo VI. appellare ad Romanae Ecclesiae judicium consuevisse. Quapropter operam plane, et oleum perdit Dupinius cum citata *dissertat.* II. *cap.* 1. §. 4. demonstrare nititur, Afros cum Gallis, et Hispanis eo saeculo, et duobus sequentibus, Pontificibus Episcoporum judicia ad se trahere conantibus obstitisse; ac tandem saeculo nono, falsis receptis decretalibus, priscam mutatam esse disciplinam. Namque isthaec pervicacia, atque obstinatior contumacia ex Gregorii epistolis, in quibus de episcopalibus Afrorum judiciis agitur, nequaquam colligitur: quin potius inde apparet illos Pontifici morem gessisse, ut propterea ipse P. de Marca, qui e Catholicis primus jus appellandi ad Romanam sedem oppugnavit, fateri coactus sit *lib.* VII. *concordiae cap.* 15. Afros cum Hispanis, et Gallis sexto saeculo, et exeunte quinto canoni Sardicensi de appellationibus cessisse. Sed de hoc argumento alius, et quidem copiosior dicendi erit locus.

quibusque Ecclesiis sua jura servare gloriabatur, ut eum ad Carthaginiensem Episcopum scripsisse supra vidimus, Africanae Ecclesiae antiqua privilegia auferre voluisse. Deinde haec, quae gessisse Gregorium de Africanis Ecclesiis ipsius scripta testantur, valde iis sunt similia, quae sub Siricio, Leone, aliisque Pontificibus facta fuisse ostendimus. Ceterum longe ante Gregorii Pontificatum Afri ipsi Antistites, qui ex omnibus provinciis Carthaginem post expulsos Vandalos anno 535. ad concilium convenerunt, literis synodicis ad Ioannem II. missis, sibi non licere nova disciplinae edere decreta, nisi prius Romanae Ecclesiae auctoritate firmarentur, ultro sunt professi. *Verumtamen*, inquiunt, *convenire caritati credidimus, ut quid habeat sensus noster, in publicam notitiam nemo perduceret, nisi prius vel consuetudo nobis, vel definitio Romanae Ecclesiae proderetur* (1).

Satis jam evidenter hoc altero capite probasse videmur, Romanam sedem non modo in suburbicarias provincias, sed in reliquam quoque Italiam, Illyricum, Galliam, Hispaniam, atque Africam,

(1) *Tom.* V. *Concil.*

seu quod idem sonat, in totum Occidentem patriarchalia jura olim exercuisse. Quapropter nihil reliquum nunc est, nisi ut nonnulla, quae ex rebus dictis necessario consequuntur, sequenti capite statuamus.

CAPVT III.

Consectaria quaedam traditae superius doctrinae illustrantur, atque ab adversariorum cavillationibus vindicantur.

Constabilita jam exarchica Romani Pontificis in cunctas Occidentis provincias ab Ecclesiae primordiis potestate, duo inde necessario sequi debent; unum nempe ut quovis tempore a synodis provincialibus Galliae, Hispaniae, et Africae ad eum provocare licuerit; alterum ut gravioris momenti negotia ab earumdem regionum Metropolitanis, ipso inconsulto, expediri nequiverint: cuiusmodi sane erant Episcopos exauctorare, vel de una ad alteram urbem transferre, novas sedes Episcopales instituere, vel pridem institutas tollere, extraordinarias synodos convocare, aliaque his similia. Isthaec enim Patriarcharum privilegia fuisse, omnes summa consensione tradunt Cano-

nistae. Verum ea praefracte negant, quotquot sat angustis regionum suburbicariarum finibus Patriarchatum Romanum circumscribendum censent. Hinc P. de Marca (1), Dupinius (2), et Espenius (3) graviter in Isidorianam canonum collectionem invehuntur, quod ejus auctor in fictis decretalibus primus omnium inculcaverit, et Episcopos sedibus suis expelli, praeter Romani Pontificis sententiam, non posse; et nullum concilium sine ipsius venia convocare licere; ajuntque his praecipue spuriis decretis veterem sanctiorem disciplinam labefactatam fuisse, et synodorum provincialium jura imminuta. Imprimis vero appellationum jus veluti novum traducunt iidem de Marca (4), et Dupinius (5), utpote quod primum medio quarto saeculo PP. Sardicenses condidisse asseverent. Atque haec sunt tria Pontificia jura, quae omnium maxime oppugnant memorati scriptores, eorumque asseclae.

---

(1) *Lib.* III. *de Concord.* S. et I. *cap.* 6.
(2) *Biblioth. Script. Eccles. Tom.* I.
(3) *Part.* III. *Iuris Eccles. tit.* 3 *cap.* 4.
(4) *Lib.* VII. *de Concord. cap.* 3.
(5) *De antiqu. Eccles. discip. dissert.* II. *cap.* 1. §. 3.

Itaque ea ipsa, quamvis ex his, quae supra docuimus, satis jam demonstrata videantur, magis tamen illustrare, tum et adversariorum objecta refellere tribus sequentibus articulis operae pretium esse arbitramur.

Articulus I.

Sine Pontificis assensu haberi non poterant non modo in Occidente, sed ne in Oriente quidem synodi extraordinariae.

Quamquam nos longissime absumus a genuinis ducendis iis Isidorianae collectionis decretalibus, quas inter spurias, et commentitias optimus quisque criticus jampridem amandavit; non ii tamen sumus, qui uno ordine, quidquid in ipsis legitur, habeamus, atque omnes sententias, omnes canones, omnia decreta inibi contenta pariter conficta arbitremur. Exploratum enim videtur, fraudulentum deceptorem, quisquis ille fuerit, iis epistolis, quas sub vetustiorum Pontificum nomine falso evulgavit, quaedam placita, quasdam sententias e veris, ac genuinis antiquitatis monumentis decerptas inseruisse. Atque hoc pacto eo confidentius loquimur, quod ipse de Marca,

Isidori alioquin mercibus infensissimus, spurias decretales *e sententiis legum, canonum antiquorum, et sanctorum Patrum, qui quarto, et quinto saeculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse* fatetur; proptereaque moleste fert Calvinianum Blondellum eas atrocioribus verbis proscidisse (1). Harum autem in numero sententiarum Isidorianas illas esse numerandas, *praeter Pontificis voluntatem concilia convocari non posse, Episcopos non oportere damnari*, non est cur in dubium revocemus, si veterum Pontificum, aliorumqne scriptorum testimonia attendamus, quae eas ipsas disertissime produnt. Quamobrem nos, quae ad Episcoporum judicia pertinent, alio rejectis, ea tantummodo hoc loco expendemus, quibus suadetur haud fas antiquitus fuisse, Romana sede inconsulta, extraordinaria concilia convocare.

Ex his primum obversatur Iulii I. epistola ad Eusebianos, sive Arianos orientales scripta post Romanum concilium an. 342. a quo sententia Tyriae synodi adversus Athanasium Alexandrinum lata fuit rescissa. In ea epistola, quam integram

(1) *De concord. lib.* III. *cap.* 5.

Digitized by Google

nobis servavit ipse Athanasius, aperte tradit non potuisse Eusebianos, Apostolica sede insciente, concilium adversus Alexandrinum Antistitem cogere, additque longe alia docuisse Apostolos Petrum, et Paullum, ita scribens (1): *Cur autem de Alexandrina Ecclesia potissimum nihil scriptum est nobis? an ignoratis hanc esse consuetudinem, ut scribatur primum nobis, et hinc quod justum est decernatur? Si qua hujusmodi suspicio in illius urbis Episcopum cadebat, ad hanc oportebat Ecclesiam scribere.....Non haec Paulli statuta, non ita Patres tradiderunt: aliena forma est ista, et novum institutum. Obsecro, bono animo*

(1) Athanas. *Apologia contra Arian.* Διατι δε περι της Αλεξανδρεων Εκκλησιας μαλιστα ουκ εγραφετο ἡμιν; η αγνοειτε ὁτι τουτο εθος ην προτερον γραφεσθαι ἡμιν, και οὑτως ενθεν ὁριζεσθαι τα δικαια; Ει μεν ουν τι τοιουτον ην υποπτευθεν εις τον Επισκοπον τον εκει, εδει προς την ενταυθα Εκκλησιαν γραφηναι.....Ουχ ουτως αι Παυλου διαταξεις, ουχ οὑτως ὁι πατερες παραδεδωκασιν· αλλος τυπος εστιν ουτος, και καινον το επιτηδευμα. Παρακαλω, μετα προθυμιας ενεγκατε· ὑπερ του κοινη συμφεροντος εστιν ἁ γραφω· ἁ γαρ παρειληφαμεν παρα του μακαριου Πετρου του Αποστολου, ταυτα και ὑμιν δηλω.

ferte: quae scribo, ad communem spectant utilitatem; quae enim a Beato Petro Apostolo accepimus, ea et vobis declaro. Ita Iulius, qui paullo post pacem Ecclesiae a Constantino redditam floruit, cujusque aetate ex adversariorum sententia vetustior, ac sanctior Ecclesiastica disciplina adhuc vigebat. Ac ne dicas unum Iulium ad amplificandam Romanae sedis dignitatem sic esse locutum, ecce tibi historicus Socrates, qui licet Graecus homo, et Novatianorum studiosus, in hac tamen re illi omnino consentit. Postquam enim dixit Iulium in epistola ad Eusebianos questum esse, quod ipsum ad synodum non vocassent, id adjungit (1): *cum Ecclesiastico canone interdictum sit, ne praeter Romani Episcopi sententiam quidquam ab Ecclesiis decernatur.* Quod sane interdictum non de provincialibus, aut dioecesanis conciliis, quae in Oriente ordinaria habebantur, sed tantum de extraordinariis, quae scilicet e diversarum dioecesium Episcopis constabant

---

(1) *Lib.* II. *cap.* 17. τȣ Εκκλησιαστικȣ κανονος κελευοντος μη δειν παρα γνωμην τȣ Επισκοπȣ Ῥωμης κανονιζειν τας Εκκλησιας.

(cujusmodi fuere Tyrium, atque Antiochenum, in quibus ab Arianis Athanasius fuit oppressus), intellexit Socrates: quamquam ne ordinaria quidem concilia sine Pontificis scientia haberi poterant, quoties de majorum sedium Episcopis damnandis agebatur, uti ex laudata Iulii epistola, aliisque veterum testimoniis priori capite docuimus. Nec a Socrate dissentit ejusdem aetatis historicus Sozomenus, qui et ipse injustam, ac violentam agendi rationem Eusebianorum carpens, testatur *esse legem Ecclesiasticam, ut irrita habeantur, quae praeter Romani Episcopi sententiam statuuntur* (1). Porro Socratis, et Sozomeni verbis nonnihil immutatis, Epiphanius Scholasticus tradit irritam habendam Antiochenam synodum, quia (2) *neque Iulius ei interfuit, neque in locum suum aliquem destinavit; cum utique regula Ecclesiastica jubeat, non oportere praeter sententiam Ro-*

---

(1) *Lib.* III. *cap.* 10. Ειναι γαρ νομον ἱερατικον, ὡς ακυρα αποφαινειν τα παρα γνωμην πραττομενα του Ῥωμαιων Επισκοπου.

(2) *Lib.* IV. *Histor. Tripart. cap.* 9.

★

mani Pontificis concilia celebrari (1). Atque ex hoc postremo scriptore Mercator Isidorus mutuatus est, quod in epistola Iulii nomine con-

---

(1) Nemo vel leviter in historia Ecclesiastica versatus ignorat, quot nefariis artibus, calumniis, insidiis, ac mendaciis quarto saeculo Catholicos, ac praesertim Athanasium perdere conati sint Eusebiani, sive Ariani. Attamen P. de Marca *lib.* VII. *Concord. cap.* 4. mirifice testimonium extollit horum haereticorum in *epistola ad Iulium* R. *Pontificem* asserentium, Athanasii caussam jam in Oriente discussam denuo agi in Occidente non posse. Rursus vero *ibidem* repudiare non veretur Iulii auctoritatem ad Eusebianos scribentis, eos non potuisse ex Apostolica regula, et veteri consuetudine majorum Ecclesiarum Antistites praeter Romanae sedis sententiam damnare; licet, ea, quae in sua epistola tradit Iulius totius concilii nomine, communi calculo ab omnibus Orthodoxis comprobata sint, ut ex Athanasii, Socratis, et Sozomeni locis per nos citatis patet. Eademque fere habet Dupinius citata *Dissertat.* II. dum primo Eusebianorum *cap.* 1. deinde Iulii literas *cap.* 2. expendit. Verum ista scribere, et in vulgus edere nonne idem est, ac sensui communi injuriam facere, et lectorum patientia abuti?

ficta ad Orientales n. 3. legitur, nimirum: *canonibus in Nicaena synodo jubentibus, non debere praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari;* nec non quod in altera spuria Iulii ad Orientales n. 4. addit: *dudum a sanctis Apostolis, successoribusque eorum in praefatis antiquis decretum statutis, quae hactenus sancta, et universalis Apostolica tenet Ecclesia, non oportere praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari.* Unde et illud conficitur, quod paullo ante posui, hoc falsarum decretalium placitum, de quo tantae excitantur turbae, *non posse*, scilicet, *praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari*, non primo ab Isidoro excogitatum, et veteribus Pontificibus affictum, sed e genuina Iulii epistola, prout in Epiphanii historia afferebatur, fuisse desumtum. Equidem non diffitemur verbis illis *non oportere concilia celebrari*, adjuncta esse a Mercatore et ista *nec Episcopi damnari:* verum licet haec posterior sententia in Historia tripartita minime legeretur, facile tamen ex toto sermonis contextu hauriri poterat, cum idcirco ab Iulio improbata sint orientalium Arianorum concilia, quod in iis Episcopi nonnulli, inconsulta Romana sede, con-

demnati fuerant. Neque vero est mirandum, nefarium hujus fraudis artificem de omnibus promiscue Episcopis accepisse, quod de unis insigniorum in Oriente sedium Episcopis in suis genuinis literis Pontifex intellexerat: nam probe is noverat apud Occidentis populos, quorum gratia unice scribebat, eam jam usque ab Ecclesiae ortu in usu fuisse disciplinam, ut nullum Episcopum e sua sede expellere possent provinciales synodi, quin prius de ea re Romanam Ecclesiam consulerent; quemadmodum et supra compluribus exemplis demonstravimus, et fusius sequenti articulo edisseremus.

Quae huc usque veterum loca recitavimus, tum Orientis, tum Occidentis extraordinaria concilia universe respiciunt. Atque hinc intelligere pronum est, cur a concilio Capuano, sive a Pontifice Siricio anno 391. mandatum fuerit Theophilo Alexandrino Antistiti, ut cum Aegyptiis Episcopis grave Antiochenum schisma exstinguendum curaret, quod inter illius urbis fideles plurimorum annorum spatio perduraverat; ac simul imperatum, ut de lata sententia Apostolicam sedem certiorem faceret: quod sane Ambrosii ad Theophilum epistola abunde nos do-

cet (1). Sin vero de solo Occidente quaeramus, praeter Bonifacii literas ad Rufum Thessalonicensem suum Vicarium superius productas, unde constat majores synodos in Illyrico, inscio ipso Rufo, cogi nequivisse, Caelestinus Bonifacii successor epistola ad Illyrici Episcopos scripta diserte vetat concilia convocari sine ejusdem Rufi consensu, quem Exarchum Illyrici Ecclesiis praefecerat (2). Idemque apertius docet Leo M. de Gallicanis regionibus, ubi ad Viennensis provinciae Antistites missa synodica epistola expresse cavet, ne Metropolitani extra suas provincias concilia celebrent, iis verbis (3): *suis unaquaeque provincia sit contenta conciliis*. Demum apertissime id ipsum testatum faciunt ceteri Pontifices, qui cum aliquem Episcopum in variis Occidentis regionibus suum Vicarium per literas renunciant, eodem tempore illi majores synodos congregandi facultatem tribuunt: idque profecto ex epistolis Pontificum per nos antea allatis satis fit manifestum. Verum illud praeterea animadvertere

---

(1) *Epist.* 56. edit. Maur.
(2) *Epist.* 3. *ad Illyrici Episcopos* apud Coustant.
(3) *Epist.* 89.

juvat, pontificiam potestatem longe potiorem in Occidentis concilia, quam in Orientis conventus exstitisse. Etenim his Pontifex dumtaxat ut supremus Ecclesiae Pastor; illis duplici ratione et ut Ecclesiae totius Princeps, et ut Patriarcha imperabat. Ex quo fiebat, ut synodi Orientis provinciales de cunctis Ecclesiasticis negotiis suos Patriarchas commonefacerent, Patriarchae vero nisi res fidei, et disciplinae dubias ad Romanam sedem non referrent; at in Occidente, ubi Pontifex solus patriarchica dignitate pollebat, licet Patriarchae appellationem respueret, omnia gravioris momenti negotia a provincialibus conciliis ad Apostolicam sedem referri oporteret. Sed videamus nunc, an provincialibus Occidentis synodis Episcopos sine Pontificis venia damnare fas esset.

Articulus 2.

Episcopos sede deturbare, inconsulto Pontifice, in Occidentis regionibus minime licebat. Provinciales synodi non proprio, sed mandato jure eorum caussas judicabant. P. de Marca, et Dupinii refutantur argumenta. Falsi redarguitur Espenius.

Ut de proposita re omnis prorsus tollatur dubitatio, in memoriam sunt ea revocanda, quae de suprema Pontificis in majoribus caussis disceptandis potestate altero capite persecuti sumus, imprimisque articulo 4. et 6. ubi de Romanae sedis in Galliam, et Africam patriarchico jure prolixius verba fecimus. Ex iis enim planum fiet I. Episcoporum caussas a privatis accusatoribus quandoque non ad Metropolitanos, sed ad Apostolicam cathedram primo delatas esse; II. Pontifices, accepto accusationis libello, interdum Romae cognitionem exercuisse, latamque sententiam provinciae Episcopis denunciasse; III. saepius vero caussarum cognitionem provinciali concilio commissam esse; IV. synodos

provinciales omnium, quae in judicio gesta erant, relationem Romam misisse, quo Apostolica auctoritate roborarentur; V. relatione accepta a Pontificibus, non semper synodorum judicia rata habita fuisse, sed aliquando infirmata. Haec autem omnia manifeste eruuntur tum ex Cypriano, et Augustino, tum praesertim ex epistolis Romanorum Antistitum Zosimi, Bonifacii I. Caelestini I. Leonis M. Hilari, Joannis II. Vigilii, et Gregorii M. quorum testimonia cum supra exposuerimus, hoc loco, ne actum agamus, afferre supersedemus. Porro post Gregorii aetatem plura nobis ejusdem rei documenta praesto essent; sed illa praetermittimus tum quod sufficere possunt, quae adducta sunt, tum maxime quod dictitant adversarii Romanos Episcopos in solidi Occidentis provincias patriarchalia jura, quae antiquitus non habebant, sensim ac paullatim posterioribus Ecclesiae saeculis sibi comparasse. Itaque qua isti fronte vetustam hanc disciplinam novitatis accusare non dubitant, dirisque eo nomine Mercatorem devovere nunquam desistunt, quasi ille, nova atque inaudita doctrina inducta, Ecclesiae mores, et jura omnino perturbaverit? At enim Conciliorum collectio, atque Ecclesiae historia millena damnatorum Praesulum exempla

exhibent, nec tamen pontificiam auctoritatem memorant. Fatemur; at quid inde? Etiam in Orientis synodis plurimi Episcopi exauctorati leguntur, quin memoretur Patriarcharum auctoritas, quos tamen damnationi consensisse prorsus indubium est. Etenim haud necessarium ducebant veteres historici ea rerum adjuncta posterorum memoriae prodere, quae facillime ex moribus, et consuetudine iis temporibus vigente discere quisque poterat.

Ceterum plurima adhuc supersunt monumenta, quae satis superque testantur Occidentis concilia jurisdictionem in majoribus caussis demandatam exercuisse. Hujus generis sunt epistolae a Pontificibus ad Episcopos Illyrici, Galliae, Africae etc. missae, quibus graviores controversias ad synodorum judicia traducentes voces usurpant *delegandi*, *mandandi*, *committendi*, aliasque his similes. In iis maxime animadversione digna videtur Bonifacii epistola supra a nobis citata ad Episcopos per Gallias, et septem provincias constitutos, in qua ait Valentinae civitatis Episcopum de innumeris criminibus apud Apostolicam sedem accusatum, a suis *decessoribus toties provinciali delegata cognitione, constituta*

semper subterfugisse judicia (1). Inde enim patefit, etiam ante creatos Vicarios Arelatenses, has caussarum delegationes in usu fuisse: nam cum Bonifacius asserat Valentini Episcopi judicium a suis decessoribus provinciae concilio delegatum esse, duos saltem fuisse oportet delegantes Pontifices, idest Zosimum, qui primus in Galliis perpetuum Vicarium instituisse fertur, et Innocentium, cui ipse Zosimus est suffectus. Quin et synodi provinciales, cum de iis, quae statuerant, ad sedem Romanam referrent, plane declararunt se mandata jurisdictione usas esse. Id et ex aliis pontificiis cognoscitur epistolis, et praecipue ex Leonis M. literis ad Viennensis provinciae Episcopos; ubi ille Pontifex vere maximus tamquam rem notissimam scribit, Gallicanas synodos innumeris relationibus in Episcoporum judiciis consuluisse Romanam sedem: *Nobiscum itaque*, en ejus verba, *vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam sedem pro sui reverentia a vestrae etiam provinciae Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam* (2).

---

(1) *Epist.* 3. *Tom.* I. *Epist. Rom. Pontif. P.* Coustant.

(2) *Epist.* 89.

Sed et idem Leo ad Anastasium Thessalonicensem scribens Episcoporum caussas graviores inter majores recenset, quae ne a Vicariis quidem Apostolicis, inconsulta R. sede, definiri poterant. Cum enim Anastasius, qui tunc vicaria Leonis potestate in Illyrico fungebatur, Atticum Epiri Episcopum asperius tractasset, Pontifex illum graviter reprehendit his verbis (1): *Etiamsi aliquid grave, intolerandumque gessisset* (Atticus), *nostra erat exspectanda censura, ut nihil prius ipse decerneres, quam quid nobis placeret, agnosceres. Vices enim nostras ita tuae credidimus caritati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Paullo vero ante haec alia dixerat: *Cum majora negotia, et difficiliores caussarum exitus liberum tibi esset sub nostrae sententiae exspectatione suspendere, nec ratio tibi, nec necessitas fuit in id, quod mensuram tuam excederet, deviandi.* Ergo si Episcoporum caussae utpote majores ad R. Pontificis judicium pertinebant, nec poterant a synodis definiri, quin prius illius sententia exspectaretur; omnino

(1) *Epist.* 84. *ad Anastasium Thessalonicensem.*

dici oportet ab ipsis synodis caussas hasce non jure proprio, sed mandato cognitas fuisse. Idque multo magis de Metropolitanis affirmandum videtur: si enim secus se res habuisset, in superiorem jus exercuissent inferiores Episcopi, quod minime fieri posse sic diserte pronunciat Gelasius I. Pontifex (1): *inferior* (sedes) *potiorem absolvere non potest; sola ergo potior inferiorem convenienter absolvit.* Quod si superiores Episcopi ab inferioribus absolvi nequibant, auctore Gelasio, potiori jure profecto damnari non poterant. Et re quidem vera apud Orientis Ecclesias in more positum fuisse accepimus, ut Metropolitarum caussae ab Exarchis dioecesium, sive Patriarchis judicarentur; quam vetustam consuetudinem firmavit Chalcedonensis synodus (2), et Justinianus (3). In Occidente vero, ubi nemo alius, praeter Romanum Antistitem, patriarchali ornatus erat potestate, ab una Apostolica sede, vel aliis, quos ipsa judices delegerat, easdem caussas disceptari potuisse nos do-

---

(1) In *Tomo de anathematis vinculo. Tom.* V. *Concil.*

(2) *Can.* 9. et 17.

(3) *Novel.* 123.

cent Patres concilii Italici sub Damaso habiti ea epistola, quam ad Principes scripserunt, quamque nos simul cum Gratiani rescripto superiori capite retulimus. Ex quo factum est, ut Magnus Gregorius Metropolitanorum controversias ad suae sedis judicium pertinere aperte ad Sardiniae Episcopos scripserit (1): *Si contra Metropolitanum, inquit, vestrum habere vos aliquid caussae contingat, ob hoc sedis Apostolicae judicium ii, qui petere festinant, licentiam habeant; quod scitis per canones etiam antiquorum patrum institutione permissum.*

Jam vero harum rationum vi haud se victos fatentur adversarii, atque acrius bellum instaurantes Nicaeni concilii canonem V. opponunt, quo praecipitur, ut caussae Ecclesiasticae omnes in provinciae synodo definiantur. Unde arguunt Nicaenos Patres supremam provincialium synodorum auctoritatem in damnandis Episcopis confirmasse (2). At Nicaena synodus, ut antea animadversum est, non ita concilia ordinaria in singulis provinciis haberi jussit, ut dioecesana,

---

(1) *Lib.* IX. *epist.* 8.

(2) De Marca *lib.* VII. *de Concord. cap.* 1. et 2. Dupin. *cit. dissert.* II. *cap.* 1. §. 1. et 2.

atque alia majora, quae extra ordinem convocari oporteret, penitus prohibuerit. Nam profecto per eadem tempora plurium Episcoporum caussae tam in Occidente, quam in Oriente extra suam provinciam agitatae fuere; nec tamen synodi, quae eas disceptarunt, adversus canones Nicaenos se facere arbitratae sunt. Et sane ut Eusebianos orientales omittam, qui non multo post Nicaena comitia Athanasium Alexandrinum duobus conciliis, Tyrio, atque Antiocheno, nimirum extra Aegypti dioecesim damnarunt; a Julio Romano Episcopo idem Athanasius, et Marcellus Ancyranus post discussam in Urbe eorum caussam an. 342. in communionem recepti, et in proprias sedes restituti sunt. Tum Damasus Pontifex synodo Romae congregata anno circiter 368. Episcopatu spoliavit Valentem, et Ursacium Illyrici Episcopos; quorum damnatio non modo ab Occidentis Ecclesiis plausu excepta est, sed ab Aegyptiis Episcopis quoque, qui literis ad Damasum datis ei ob hanc rem gratias egerunt, simulque rogarunt, ut etiam Auxentium Arianum e sede Mediolanensi dejiceret (1). Hinc

(1) *Tom.* II. *Concil.* Athanas. *epist. ad Africanos Episcopos Tom.* II. *Oper.* edit. Maur.

paucis post annis idem Damasus, concilio in Urbe ex Italia, et Gallia collecto Auxentium damnavit; nemoque tunc temporis inventus est, qui Pontificem violatae disciplinae insimularet(1). Deinde Patres Italici concilii anno 381. habiti in epistola synodica ad Theodosium Imperatorem, de qua nos supra mentionem fecimus, aperte significant *Athanasium, et Petrum Alexandrinae Ecclesiae Episcopos, et plerosque Orientalium jure, et more majorum ad Ecclesiae Romanae, Italiae, et totius Occidentis confugisse judicium* (2): quare, ex Italicorum Praesulum sententia, caussas in Orientis synodis actas iterum in Romano concilio discutere haud nefas erat. Postremo, ut alia sileam exempla, in Capuana synodo an. 391 statutum fuit, ut controversia inter Flavianum, et Evagrium Antiochenae Ecclesiae Episcopos ab uno Theophilo Alexandrino cum Aegyptiis Episcopis, extra scilicet Antiochenam provinciam dirimeretur (3): eademque synodus Bonosi Sardicensis caussam

(1) *Eodem Tom.* II. *Concil.*
(2) *Ibidem.*
(3) *Ibidem.* Ambros. *epist.* 56.

Macedoniae Episcopis, idest alterius provinciae commisit (1). Quae cum ita se habeant, quis adhuc dubitabit, num Episcoporum occidentalium caussas ad suum judicium trahere Romano Pontifici ex Nicaenis regulis licuerit?

At enim, ait P. de Marca, nono primum saeculo Nicolaus I. post invectas videlicet spurias decretales, illam regulam statuit, *non posse Episcopos quosvis damnari, inconsulto R. Pontifice*; cui, sicut et aliis deinceps Pontificibus restiterunt Galli, donec tandem exeunte saeculo X. eorum pertinaciae cedere coacti sunt (2). Fatetur ipse tamen aliter de Metropolitanis esse existimandum; quorum caussas Zosimus primum, et dein Caelestinus, Leo M. Hilarus, et sequentes alii Pontifices, annuentibus plerumque synodis, suo judicio reservare adnisi sunt (3). Haec doctus Archiepiscopus Parisiensis: cujus quidem opinionem falsam plane arguunt plura Antistitum Gallorum exempla superius a nobis producta,

---

(1) *Epist.* 9. Siricii *ad Macedoniae Episcopos* apud P. Coustant.

(2) *Lib.* VII *de Concord. cap.* 25.

(3) *Ibidem Cap.* 17. et *seqq.*

quorum caussas saeculo praesertim V. et VI. Romani Pontificis auctoritate judicatas fuisse constat. Neque id tantum de Metropolitanis, sed de aliis Episcopis affirmamus; quales fuere Maximus Valentinus Praesul sub Bonifacio I, Daniel sub Caelestino I, et Contumeliosus Regiensis Episcopus sub Joanne II. Praeterea cum ex ipso de Marca suo judicio Metropolitanos, non repugnantibus saepe Gallis, subjecerint Pontifices, id certe non assequi, nisi ob patriarchicam dignitatem potuerunt; nunquam enim in Oriente, ubi alii erant Patriarchae, sibi hoc privilegium vindicarunt. Sed si patriarchicam Romanae sedis in Metropolitanos potestatem agnoverunt Gallicanae synodi, nullo pacto idem in reliquos Episcopos jus illi eripere poterant, quo alii fruebantur Patriarchae; praesertim cum fateatur idem auctor Gregorium Magnum pervicisse, ut in Gallicanis conciliis episcopales caussae se consulto, suoque legato praesente, disceptarentur (1). Demum ut clarius perspicias, quantum a vero aberret Cl. Archiepiscopus, dum asserit Gallos Antistites usque ad saeculi X. exitum

(1) *Ibidem Cap.* 19.

Digitized by Google

Romanae sedi in hujusmodi re obstitisse, synodus praesto est Tricassina medio fere nono saeculo habita, idest anno 867. cujus Patres, quos inter eminent sex Metropolitani, et ipse Hincmarus Rhemensis, literis ad Nicolaum Pontificem datis, eum vehementer rogant, ne quemlibet Episcopum in Gallia gradu dejici patiatur contra suorum decessorum plurima decreta, inconsulta Apostolica sede: *Submissae*, inquiunt, *devotionis obsequio vestri Apostolatus exoramus magnificam beatitudinem, ut sapientissima indagine consideratis utriusque partis relatis, more sanctissimorum praedecessorum vestrorum, quae de statu sacri pontificalis ordinis ab eis statuta, et impraevaricabili auctoritate firmata sunt, ut immota de cetero maneant, mucrone Apostolico quorumcumque Metropolitanorum temeraria praesumtione suppressa, quin etiam reliquorum Episcoporum quorumcumque, seu quantorumcumque audaci conniventia penitus submota, privilegia, et decreta servari innovata constitutione decernatis; ita ut nec vestris, nec futuris temporibus praeter consultum Romani Pontificis de gradu suo quilibet Episcoporum dejiciatur, sicut eorumdem sanctorum antecessorum vestrorum multiplicibus*

decretis , et numerosis privilegiis stabilitum modis mirificis exstat (1). Hisce autem verbis Tricassini Patres centum et amplius annis ante saeculi X. finem non modo Pontificibus suam potestatem in Episcoporum judicia jactantibus non obluctantur, sed etiam ultro profitentur Gallos Episcopos non posse ex pontificiis decretis sine Romanae sedis auctoritate damnari.

Eadem propemodum, quae de Marca, docet Dupinius vestigia sui magistri premens; nisi quod de Metropolitanis ab eo vehementer dissidet, quos quidem aeque ac reliquos Episcopos sine ulla Apostolicae sedis auctoritate usque ad decimam Ecclesiae aetatem vult Gallicanorum conventuum judicium subiisse: prolatisque exemplis Proculi Massiliensis, Hilarii Arelatensis, Hincmari Rhemensis, paucisque aliis ostendere nititur Gallos Antistites Pontificum semper conatibus obviam ivisse (2). Quapropter ne hujus argumenta, seu potius sophismata intacta relinquamus, iis refutandis nonnihil temporis tribuere

---

(1) Concil. Tricassini *epist. ad Nicolaum data Tom.* X. *Concil.*

(2) *Citat. Dissert.* II. Cap. 1. §. 4. et *cap.* 2. §. 3

praestat. Ac profecto ex eo, quod aliqui Episcopi contumaces aliquando fuerint, non sequitur reliquos omnes pariter pontificiis decretis quovis tempore parere noluisse; contrarium enim suadent tum ea, quae jam antehac exposuimus, tum ea, quae mox de appellationum caussis disserentur. Ad haec si Gallicanae synodi per tot saecula in Episcoporum judiciis Pontificum voluntati semper adversatae fuissent; certe quemadmodum de Proculo Zosimus, de Hilario Leo Magnus, et de Hincmaro Nicolaus in suis questi sunt epistolis, ita et ceteri bene multi Romani Antistites, quorum ad Gallos scriptae epistolae adhuc supersunt, de istiusmodi contumacia queri debuissent. At contra omnino accidit: etenim saepissime Vicariis suis, et conciliis provincialibus episcopales caussas delegant, eorum diligentiam, studium, et reverentiam ergo sedem Apostolicam commendant, praecipiuntque ut, quae statuerint, ad se referant, quo possint sua auctoritate firmari; quae utique frustra facere laborassent, si reluctantes, et renitentes perpetuo Gallos experti essent. Denique ipsae synodi ad sedem Apostolicam referentes, quidquid in Episcoporum caussis definierint, satis indicant se hoc pacto Pontificum mandatis obtemperasse. Quare Leo ad provinciae Vien–

Digitized by Google

nensis Episcopos scribens, recognoscere secum eos jubet a Gallicanis conciliis in hujusmodi controversiis *innumeris relationibus Apostolicam sedem consultam esse* (1). Et Hilarus Leonis successor, post relationes a provincialibus synodis acceptas, caussis tum Hermae Narbonensis, tum Mamerti Viennensis Episcopi finem imposuit (2). Eademque ratione, ne longior sim, Joannes II. postquam de crimine Contumeliosi Episcopi per synodicas literas certior factus est, Gallicani concilii judicium confirmavit (3). Quae omnia plane docent nullo esse nixa fundamento, imo prorsus antiquis monumentis adversa, quae de judiciorum forma in Gallia persuadere nobis studet Dupinius.

Ex iis porro, quae et antecedenti capite, et hoc articulo ad supremam Romanae sedis in Ecclesiasticis judiciis auctoritatem tuendam per nos dicta sunt, facile est cuique pervidere, quam falso existimaverit Espenius, judices delegatos pontificios non esse saeculo duodecimo anteriores;

(1) *Epist.* 89.
(2) *Epist.* 8. et 11. Hilari *Tom.* V. *Concil.*
(3) *Epist.* 4. Joannis II. *Ibidem.*

cum in tit. *de offic. et potest. Iud. deleg.* Gregorianae collectionis *nulla*, ut ipse scribit, *reperiatur decretalis, quae habeat auctorem antiquiorem Alexandro III. qui obiit anno 1181.* (1). Nam heic a Lovaniensi Doctore quaero, dicine potuerint judices delegati tum Antistites illi, quos priscis Ecclesiae aetatibus in Illyrico, in Gallia, et alibi constituisse sibi Vicarios Pontifices feruntur, tum provinciales Galliae, aliarumque regionum synodi, quibus in Episcoporum caussis jurisdictionem *delegatam*, *commissam*, *mandatam* esse a Romana Ecclesia accepimus? Si id fatetur, quod certe inficiari nequit, nisi tot vetustis chartis per nos prolatis refragari velit, quae hujusmodi delegationum saepe meminerunt; falsum procul dubio asseruit, cum ignotos ante aetatem duodecimam judices delegatos scripsit. Sin vero dicat sequiori aevo frequentiores evasisse delegationes ob multitudinem controversiarum ad matrimonia, beneficia, et monasteria attinentium, quae e cunctis Occidentis provinciis ad Apostolicam sedem deferebantur; ac praeterea inferiores quoque Clericos

(1) *Juris Ecclesiast. Part.* III, *tit.* 5. *cap.* 2.

vice pontificia functos fuisse, cum primis temporibus non alii ferme, nisi Episcopi ad id honorificum munus in provinciis fuerint delecti; lubenter profecto nos illi in hac re assentientes, advertere tamen necesse habemus, perperam eum novas, atque inauditas per undecim saecula pontificias delegationes pronunciasse; quandoquidem non novae ipsae delegationes, sed nova exstiterunt caussarum genera, nova personarum genera, quibus caussae mandabantur.

Articulus 3.

Ex toto Orbe Christiano et ante, et post canones Sardicenses ad Romanam sedem fuisse appellatum contra adversariorum sophismata ostenditur. Frequentiores tamen ab Occidentis synodis ob patriarchalem Pontificis dignitatem provocationes fuere. Quesnellii audacia, et ακρισια notatur. Apiarii celebris controversia expenditur. Quaenam judicia transmarina *vocaverit canon 28 Africanae Ecclesiae, disquiritur.*

Gravissimum de appellationibus ad Pontificem argumentum, per se admodum facile, ac planum,

adeo difficile, et implicatum tot scripta, et lucubrationes magno animorum aestu a viris doctis confectae reddiderunt; ut si illud pro rei dignitate quis pertractare velit, vix longo ac prolixo opere absolvere possit. Nos tamen, quibus propositum est ea tantum, quae ad nostram caussam faciunt, uno concludere articulo, praecipua hujus loci capita, quanta maxima poterimus brevitate, explanare studebimus. Quare agitatissimam de appellandi jure quaestionem praetermittendam censemus, non quo eam levioris momenti ducamus, sed quod nobis satis esse videtur, si appellationum usum a prima usque aetate in tota Ecclesia fuisse demonstremus: inde enim et jus ipsum, tamquam ex effectu caussa nullo negotio derivabitur (1).

---

(1) Jus hocce appellationum, quidquid contra sentiant de Marca, Dupinius, Quesnellius, paucique alii, nullo pacto Romano Pontifici denegari potest ob principatum, quem in universam Ecclesiam ex Divino obtinet jure. Quemadmodum enim civile imperium sine eo jure concipi nequit, ita nec sacer principatus sine eodem privilegio; ut propterea sapientissime Benedictus XIV affirmaverit *De syn. dioeces. lib.* IV. *cap.* 5. *appellationum jus adeo necessario connexum cum*

Igitur ut omittam Marcionem a Patre Sinopensis urbis Episcopo ob stupri crimen a fidelium communione semotum ad Hyginum Pontificem altero Christi saeculo confugisse (1); tertio saeculo primo ad Clerum Romanum Privatum Lambesitanum in Africa Episcopum, tum ad Cornelium Papam schismaticos Afros Fortunatum, et Felicissimum, dein ad Stephanum duos Antistites Hispanos Basilidem, et Martialem a suis synodis damnatos provocasse auctor est Cyprianus (2). Quarta vero Ecclesiae aetate Athanasius

Romani Pontificis in universam Ecclesiam jurisdictionis primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere. Idque tam manifestum, atque exploratum haberi debet, ut vel ipse Cavallarius, quamvis nullum appellandi usum fuisse per plura saecula asserat, tamen discedere a P. de Marca in hac re cogatur, ultroque jus tale in Romana sede se agnoscere fateatur *Part.* III. *Institut. Juris Can. cap.* 33. Quod si solius Occidentis provincias considerare velimus, in quas patriarchali quoque potestate potiebantur Romani Pontifices, uti haud spernendis rationibus hactenus ostendere visi sumus, longe quidem manifestius, atque exploratius jus appellandi evadet.

(1) Epiphanius *haeres.* 42.

(2) *Epist.* 55. et 68. edit. Pamel.

Alexandrinus, Marcellus Ancyranus, aliique Praesules orientales ab Arianis suis sedibus pulsi ad Julii Romani Antistitis judicium appellarunt; a quo coacta synodo absoluti suis Ecclesiis restituti sunt, uti ex Socrate, et Sozomeno habemus (1); idque ante synodum Sardicensem factum est, quae anno 347. congregata fuit. Eodemque saeculo et Eustathium Sebastenum Liberii Pontificis literis, ad quem provocaverat, Episcopatum recuperasse testatur Basilius (2); et Priscillianum haeresiarcham a Caesaraugustano concilio communione privatum Romam ad Damasum confugisse narrat Sulpicius Severus (3). Ad haec quintae aetatis intervallo ad Apostolicam sedem a synodorum judiciis appellarunt sub Innocentio Joannes Chrysostomus Constantinopolitanus Antistes (4), Gregorius Emeritensis Metropolita (5), Bubalius, et Taurianus Illyrici

(1) Socrat. *lib.* II. *cap.* 15. Sozom. *lib.* III. *cap.* 8.
(2) *Epist.* 263. edit. Maur.
(3) *Lib.* II. *Histor. sacrae.*
(4) Palladius in *vita Chrysostomi.*
(5) *Epist.* 3. Innocent. *Tom.* I. *Ep. R. Pontif.* Coustant.

Episcopi (1); sub Zosimo Caelestius Pelagii discipulus (2), et Apiarius Africanae Ecclesiae presbyter (3); sub Bonifacio Antonius Fussalensis in Africa Episcopus (4); sub Caelestino Felix Illyrici Episcopus (5); sub Xysto Bricius Antistes Turonensis (6); sub Leone tum Chelidonius, et Projectus Gallicani Praesules (7), atque Afer Episcopus Lupicinus (8), tum Flavianus Constantinopolitanus (9) cum Theodoreto Cyrensi Episcopo (10), ac Praesul Epiri Atticus (11);

---

(1) *Epist.* 18. Innocent. *ad Illyrici Episcop. ibidem*

(2) Marius Mercat. in *Commonitorio cap.* 1.

(3) *Epist.* Africani concilii an. 419. *ad Bonifacium Pontif. Tom.* III. *Conc.*

(4) Augustin. *epist.* 209.

(5) *Epist.* 3. Caelestini apud Coustant.

(6) Gregor. Turon. *Histor. Franc. lib.* II. *cap.* 1. et *lib.* X. *cap.* 31.

(7) Leo *epist.* 89. *ad Viennensis provinciae Episcopos.*

(8) Idem *epist.* 87. *ad Africanos Mauritaniae Episcopos.*

(9) Liberatus in *Breviario cap.* 12. et *epist.* Valentiniani Augusti *ad Theodosium* Tom. IV. *Concil.*

(10) Theodoret. *epist.* 92. *ad Leonem.*

(11) Leo *epist.* 84. *ad Anastasium Thessalon.*

sub Simplicio demum Joannes Alexandrinus Antistes cognomento Talaja (1). Insequenti dein saeculo Romanum judicium postularunt sub Bonifacio II. Stephanus Larissaeus Metropolita (2); sub Agapeto Contumeliosus Gallus Episcopus (3); sub Pelagio I. Sapaudus Arelatensis Praesul (4); sub Joanne III. Episcopi Galli Sagittarius, et Salonius (5); sub Gregorio M. denique Joannes Chalcedonensis presbyter (6), et Hadrianus Thebanus Episcopus (7), tum Hispani Praesules Januarius, et Stephanus (8), nec non ex Afris Petrus (9), et Paullus Episcopi (10) cum Adeo-

(1) Liberatus *cap.* 18. et Evagrius *lib.* III. *cap.* 15.

(2) Concilium Rom. an. 531. *Tom.* V. *Concil.*

(3) *Epist.* 8. Agapeti *ibidem*

(4) *Epist.* 14. Pelagii *Tom.* VI. *Concil.*

(5) Gregorius Turon. *lib.* V. *Histor. cap.* 21.

(6) Gregor. *lib.* VI. *epist.* 15. *ad Joannem Constantinopol.*

(7) Idem *lib.* III. *epist.* 6. *ad Joan. Justinianae* I. *Episcopum.*

(8) Idem *lib.* XIII. *epist.* 45. *ad Joannem Defensorem.*

(9) Idem. *lib.* VI. *epist.* 37. *ad Columbum Episc. Numidiae.*

(10) Idem. *lib.* VIII. *epist.* 13. *ad Columbum Episc. Numidiae.*

Digitized by Google

dato presbytero (1), ac diacono Donadeo (2). Plura alia praesertim sequioris aevi exempla silentio praetereo; neque enim in re tam clara diutius immorari oportet. Illud tamen heic repetere non piget, quod antea me advertisse memini, plurima periisse Ecclesiastica veterum scripta; quae si exstarent, immensam prorsus appellationum segetem suppeditare possent. Et quidem paucas tertii saeculi provocationes ex uno didicimus Cypriano; quae omnino nobis ignotae essent, atque incompertae, si eamdem fortunam nactae essent illius epistolae, quam tot clarorum virorum opera subierunt. Non recte ergo argumentatur Quesnellius, cum ex antiquorum silentio conficere se posse putat, nullum olim in Ecclesia Gallicana usque ad Leonis Pontificatum appellationis exemplum exstitisse (3).

---

(1) Idem *lib.* IV. *epist.* 13. *ad Clementium Byzacenum.*

(2) Idem *lib.* XII. *epist.* 8. *ad Columbum Episc. Numidiae.*

(3) *Dissert.* V. *ad opera S. Leonis part.* I. *cap.* 14. et seqq. Videtur hoc loco Oratorianus presbyter dissimulare, quod in sua *historia* narrat Gregorius Turonensis, nimirum ante Leonem Pontificem Bricium S.

Sed jam tempus audiendi, quae nobis objiciunt adversarii. Primo inquiunt nullius plane roboris esse posse allata exempla, cum Nicaena synodus imperans canone V. ut in concilio provinciali omnia negotia Ecclesiastica discutiantur, appellationes ad alia concilia, nedum ad Romanam sedem aperte vetet. Idemque addunt PP. Antiochenorum consilium fuisse, qui canone XV. edicunt, ut si in Episcopo damnando provincialis synodi suffragia sint discordia, vicinae provinciae Episcopi ad dirimendam litem advocentur; at si plenis suffragiis damnetur Episcopus, rata maneat synodi sententia, nec alii ad judicandum admittantur. Praeterea Dupinius (1), ejusque gregales negant eas veras fuisse appellationes, quae prioribus saeculis praesertim ab Orientalibus ad Pontifices delatae feruntur. Etenim volunt Pontifices appellatos non caussas denuo judicasse, aut latas rescidisse sententias; sed tantum quae injuste, et per vim acta erant, improbasse, vel

---

Martini in cathedra Turonensi successorem, ob falsum crimen e sede pulsum, Romam perfugisse, et post septennium auctoritate pontificia in pristinam dignitatem fuisse restitutum.

(1) *Citat, dissert.* II. *cap.* 2. §. 2. et 3.

Digitized by Google

aliud majus concilium a Principibus petiisse. Tum Dupinius idem (1), et de Marca (2) censent Sardicensem synodum, cum can. III. IV. et VII. declaravit fas esse Episcopis synodali sententia perculsis ad Romanae urbis Episcopum provocare, jus novum condidisse; atque ex eo tempore novae hujusce facultatis, quae Apostolicae sedi accessit, originem esse repetendam; quod quidem evincere conantur ex Osii verbis in synodo prolatis: *Si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus*. Quin imo scriptores isti adjiciunt jus hoc a PP. Sardicensibus Romano Pontifici concessum non proprie *appellationis* fuisse, sed *revisionis*; ut videlicet Pontifici liceret non iterum Episcoporum caussas Romae disceptare, sed tantum ad provinciae Episcopos, et ad finitimos integrum judicium amandare. Postremo ajunt canones Sardicenses de appellationibus non statim in Occidente receptos, sed longo post tempore sensim induci coepisse, nimirum sexto saeculo, uti

(1) *Ibidem cap.* I. §. 3.
(2) *Lib.* VII. *de Concord. cap.* 3.

putat de Marca (1), vel etiam post octavum saeculum, ut Dupinius (2), et alii opinantur (3).

Haec pontificiarum appellationum hostes: quibus omnibus ut singillatim obviam eamus, respondemus primo Nicaenos Patres jussisse quidem Ecclesiastica negotia in ordinariis provinciae synodis definiri, sed tamen alia concilia extra ordinem haberi non vetuisse; quod profecto

---

(1) *Ibidem. cap.* 15.

(2) *Dissert.* II. *cap.* 1. §. 4.

(3) Frustra contendit nobis persuadere Dupinius, ab Orientis Ecclesiis nunquam admissos fuisse Sardicenses canones, *citat. Dissert.* II. *cap.* 1. §. 3. Contrarium enim evincunt tum non pauca Episcoporum Orientis ad R. sedem appellantium exempla; tum Collectio Graeca canonum a Theodoreto, vel a Joanne Scholastico confecta, et Photii Nomocanon, in quibus Sardicensis synodi decreta exhibentur; tum maxime Trullana synodus, quae cum aliis Sardicenses quoque canones recensuit. Quin, et ipse P. de Marca fatetur licitum fuisse Episcopis Orientis ad R. Pontificem provocare, cum Fidei caussa damnabantur; atque ad id demonstrandum exempla refert Eustathii Sebasteni, Flaviani, et Theodoreti, quos vere appellasse asserit *lib.* VII. *cap.* 6. et *seqq.* Quod tamen irrito conatu negat Dupinius *ibid. cap.* 2. §. 3.

alibi non semel docuimus. Hinc Patres concilii Romani habiti anno circiter 378. adversus Ursicini Pseudopontificis factionem edixerunt, ut liceret Episcopo damnato, *si vel Metropolitani, vel cujusque alterius Sacerdotis suspecta gratia, vel iniquitas fuerit, vel ad Romanum Episcopum, vel ad concilium certe quindecim Episcoporum finitimorum provocare* (1). Nemo autem inficiari poterit Italicum hoc concilium Nicaenae synodi, quae eodem saeculo convocata fuit, longe melius mentem intellexisse, quam P. de Marca, Quesnellium, et Dupinium, qui tredecim post saeculis vixerunt. Sed quo quisque clare videat, aliter Nicaenam synodum de appellationibus sensisse, atque ut existimant adversarii, mecum advertat volo, Episcopos, qui Nicaeae coacti objectum canonem ediderunt, eosdem magna ex parte viginti ferme post annos in Sardicensi oecumenico concilio congregatos graviter Eusebianos accusare non dubitasse, quod a Julio Papa ad synodum acciti, quae Romae Athanasii caussa habebatur, ire noluerint (2). Persuasum igitur habebat

(1) *Epist. ad Gratian.* et *Valentin. Tom.* II. *Conc.*
(2) *Epist. ad Julium Pontificem Tom.* II. *Concil.*

universa Ecclesia, quae per Sardicensem synodum referebatur, nullum canonem Nicaenum vel appellationes, vel alias synodos, praeter provinciales, prohibuisse. De canone vero Antiocheno non est, quod valde laboremus, cum illius auctores Eusebianos, sive Arianos fuisse sciamus, qui eo decreto Athanasio, aliisque catholicis Episcopis, quos opprimere studebant, omnem viam suae innocentiae probandae praeclusam voluerunt. Quare non mirum, si Antiochenos canones, quibus in Chrysostomi perniciem ejus inimici utebantur, Innocentius Pontifex rejecerit (1).

Quod autem altero loco objicit Dupinius, vetustiores quae commemorantur praesertim Orientalium appellationes haud id nominis mereri, quippe cum non denuo caussas judicarint, et latas abrogarint sententias Pontifices, sed dumtaxat injuriam, et vim improbarint, aut generale concilium a Principe quaesierint; id quidem nullo idoneo teste probatur, imo et contra veteris historiae auctoritatem asseritur.

---

(1) *Epist.* 7. *ad Clerum, et populum Constantinopol.* apud P. Coustant.

Nam Julius Pontifex Athanasii caussam Romae cognovit, eique Episcopatum reddidit, quemadmodum Socrates (1), et Sozomenus (2) aperte testantur. Quin idem Socrates, quod animadversione dignum, hoc ipsum tamquam Romani Episcopi privilegium praedicat: *De rebus suis,* inquit, *docent* (Athanasius, aliique Episcopi ab Arianis vexati) *Romanum Antistitem Julium: ille vero, quod est Romanae Ecclesiae privilegium, liberioribus literis eos communivit, et in Orientem misit, singulis suam sedem restituens.* Ita quoque Gelasius I. ad Dardaniae Episcopos scribens, exemplis Athanasii, Chrysostomi, Flaviani, et Dioscori diserte ostendit Apostolicam sedem *more majorum et absolvendi, quos synodus inique damnaverat, et damnandi, quos oportuit, habuisse facultatem* (3) Porro non diffitemur Innocentium cum

---

(1) *Lib.* II. c. 15. γνωριζουσιν ουν τῷ Επισκοπῳ Ρωμης Ιουλιῳ τα καθ' ἑαυτους· ὁδε, ἁτε προνομια της εν Ρ'ωμῃ Εκκλησιας, παρρησιαστικοις γραμμασι οχυρωσεν αυτους, και επι την ανατολην αποστελλει, τον οικειον ἑκαστῳ τοπον αποδιδους.

(2) *Lib.* III. *cap.* 8.

(3) *Epist.* 13. *Tom.* V. *Concil.*

Italiae Episcopis concilium oecumenicum ab Arcadio Imperatore in Chrysostomi caussa postulasse; verum id factum affirmamus non quod ejusdem caussae judicandae Pontifici facultas deesset, sed ut, tota Ecclesia S. Doctorem absolvente, illius inimici suae improbitatis palam convicti necessario latae sententiae obtemperare cogerentur. Et sane, antequam Occidentis legati ad petendum concilium Constantinopolim mitterentur, jam Innocentius cum sua synodo, teste Palladio, decreverat, *non debere Joannem judicium subire, nisi prius ei redderetur Ecclesia, et communio* (1). Ergo Pontifex non solum injustam sententiam improbavit, sed etiam ante oecumenicum concilium irritam cognita caussa pronunciavit. Deinde cum generale id concilium impetrari minime potuisset, et Chrysostomus interea in exilio obiisset, sola Romanae sedis, quae illum absolverat, sententia praevaluit; pervicitque haec tandem, ut sanctissimi exsulis nomen ab omnibus Orientis Episcopis in sacra diptycha

(1) In *vita Chrysostomi*. Μη δειν εισελθειν Ιωαννην εις κρισιν, εαν μη προτερον αποκατασταθη αυτῳ ήτε Εκκλησια, και ἡ κοινωνια.

restitueretur. Atque id non ex solis Innocentii epistolis, neque ex uno Gelasio accepimus, quos utpote Pontifices suae sedis amplitudini nimium servire facile dicerent adversarii, sed etiam ex Theodoreti, Graeci hominis, historia habemus, cujus haec sunt verba: *Non prius Occidentis Episcopi Antistitum Aegypti, et Orientis, et Bosphori, et Thraciae communionem amplexi sunt, quam divini illius Viri nomen una cum reliquis mortuis Episcopis in sacras tabulas retulissent* (1). Neque aliter de Flaviani, et Theodoreti appellatione est existimandum: siquidem antequam in Chalcedonensi concilio illorum innocentia declararetur, jam Leo Pontifex in Romana synodo, damnato Ephesino Latrocinio, eosdem injuste Episcopatu spoliatos pronunciavit, effecitque ut alterius vita functi memoria coleretur, et alter suae sedi restitueretur. Ex quo factum est, ut Chalcedonensi in

---

(1) *Lib.* V. *cap.* 34. Ου προτερον δε της ἑσπερας Επισκοποι των εν Αιγυπτῳ, και τῃ Εω, και των εν τῳ Βοσπορῳ, και Θρακῃ την κοινωνιαν ησπασαντο, ἑως εκεινου του θεσπεσιου ανδρος τουνομα τοις τεθνεωσιν Επισκοποις συνεταξαν.

concilio congregatis Patribus, imperatorii Ministri cum Senatu dicerent: ***Ingrediatur piissimus Theodoretus, particeps concilii futurus, quia ei reddidit Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo*** (1).

Etsi autem Sardicensis synodus, quod tertio opponitur, constituit ut caussae ad Romanam sedem appellantium ad provinciae Episcopos, aliosque finitimos, praesente etiam legato Pontificis, si opus esset, deferri possent; non inde tamen sequitur, ut Pontifici easdem caussas Romae disceptandi facultas denegata fuerit: sed id propterea statutum est, quia ad veritatem factorum detegendam opportunius in provinciis, quam alibi concilia haberi videbatur. Quis enim Principem de aliqua controversia appellatum, si ad novos judices caussae cognitionem deferat, non posse ipsum in suo aulico consilio eamdem caussam cognoscere dixerit? Ceterum quaenam in hac re Sardicensis synodi mens fuerit, satis ipsamet ostendit, cum graviter

(1) Act. I. εισιτω και ὁ ευλαβεστατος Θεοδωρητος, κοινωνησαι τῃ συνοδῳ, επειδη και αποκατεστησεν αυτῳ την Επισκοπην ὁ ἁγιωτατος Αρχιεπισκοπος Λεων.

Orientales accusavit, uti modo dictum, quod ad Romanum concilium pro Athanasio congregatum accedere detrectarint. Si enim illos reprehensione dignos duxit, quod Pontifici non obtemperaverant, profecto ei Athanasii caussam Romano in concilio judicandi potestatem fuisse existimavit. Sed et aliud non minoris momenti ex hoc Sardicensium Patrum facto intelligere datur, quod non jus novum de appellatione ad Pontificem instituerunt, ut autumant de Marca, et Dupinius; aliter enim Eusebianos minime ut contumaces, et superbos notassent: verum vetus privilegium, quod ex sedis principatu profectum jam consuetudine invaluerat, suo suffragio comprobarunt. Nec vero negotium nobis facessit, quod ipsi cum Quesnellio observant (1), Osium scilicet, nisi rem novam in synodo proponeret, non iis verbis uti debuisse: *si vobis placet, Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus.* Non enim a Patribus Osius postulavit, ut novum jus Pontifici tribuerent, sed ut novo decreto vetustissimum illud jus munirent, quod refractarii, et contumaces Ariani in Romana sede esse negabant.

---

(1) *Dissert.* V. *ad Leonis opera part.* 1. *cap.* 15.

Itaque Sardicense concilium tribus canonibus, de quibus modo dictum, dum Episcopis damnatis consulens antiquam appellandi consuetudinem constabilivit, simul intra legitimos, et justos terminos synodorum provincialium auctoritatem coërcere voluit, ne appellationes prohiberent, neve alium Episcopum crearent, donec Romanus Antistes, quid agendum esset, constitueret. Quod profecto tunc primum factum est; ideoque per eos canones *Petri Apostoli memoriam honoravit* concilium, non jus novum sanciendo, sed antiquum nova disciplinae regula firmando. Sic et in eadem synodo Osius Patribus suadens, ut veterem Ecclesiasticam regulam, qua Episcopi de una in aliam sedem transferri vetabantur, jam antea a Nicaeno concilio firmatam (1), severiori adjecta pœna magis communirent, hanc ipsam loquendi formulam adhibuit (2): *placet ne omnibus, ut talis improbitas asperius puniatur?* Quare quemadmodum manifestum est Osium heic non novum de Episcoporum transla-

---

(1) *Can.* 15.

(2) *Can.* 1. ει πασι τοινυν τουτο αρεσκει, ὡστε την τοιαυτην σκαιοτητα αυστηροτερον εκδικηθηναι;

tione jus, sed tantum novam poenam postulasse; ita quoque affirmare oportet, eumdem supra allatis verbis Sardicenses Patres rogasse, non ut novum jus ad Apostolicam sedem appellandi constituerent, sed ut novo synodico decreto caverent, ne deinceps damnati Episcopi a conciliorum sententiis appellare prohiberentur.

Quod ajunt denique serius in Occidente, idest post quintum, vel etiam post octavum saeculum appellationes ad Pontificem fuisse receptas, falsum esse arguunt tot appellationum exempla, quae paullo ante produximus. Quin et frequentiores illas fuisse in Occidentis Ecclesiis, quam alibi, ex eo patet, quod hae magis subjectae erant Romano Episcopo ob patriarchicam ipsius dignitatem, uti supra ostensum est: Patriarcharum autem erat, quod norunt omnes, a synodis suae dioecesis appellationes suscipere. Sed de hac re exstat insuper testimonium Leonis luculentissimum, qui in epistola non semel citata ad Viennensis provinciae Episcopos ita scribit: *Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam sedem pro sui reverentia a vestrae etiam provinciae Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam*, *ET PER DIVERSARUM, QUEMADMODUM VETUS CON-*

SUETUDO POSCEBAT, APPELLATIONEM CAUSSARUM AUT RETRACTATA, AUT CONFIRMATA FUISSE JUDICIA (1) Quae sane verba ea nos docent, quae cunctas adversariorum machinationes quam maxime disjiciunt. Nam ex his colligimus I. usitatissimas fuisse appellationes etiam apud Gallos, quos tamen per octingentos annos eas non tolerasse contendunt Baluzius (2), et Dupinius (3); II. eas non aetate primum Leonis, quinto scilicet saeculo inductas, sed ex vetusta consuetudine obtinuisse: hoc enim sat aperte innuunt illae voces, *quemadmodum vetus consuetudo poscebat;* III. tandem easdem veri nominis appellationes exstitisse: siquidem per eas dicuntur, caussa denuo cognita, *aut retractata, aut confirmata fuisse judicia.* Nec quemquam movere debet, quod post absolutum ab eodem Leone Chelidonium Episcopum, qui in Gallicana synodo ab Hilario Arelatensi damnatus ad Romanam sedem provocaverat, Hilarius ipse

(1) *Epist.* 89.

(2) In *praefat. ad Antonium Augustinum de emendat. Gratiani.*

(3) *Citat. dissert* II. *de ant. Eccles. discipl. cap* 1. §. 4.

Pontificis judicium iniquo animo tulit, ut e laudata Leonis epistola discimus. Nam non appellationi obstitit, neque eam admissam doluit; secus enim haud Romam ad tuendum suum judicium se contulisset: verum sperans suam sententiam confirmatum iri (quod saepissime in appellationum caussis fieri consueverat) postquam illam irritam pronunciandam fore sensit, subiratus Urbe excessit. Quae vero adversus hoc Leonis testimonium protulit Quesnellius, mox videbimus.

Idem quoque de Afris facile est demonstrare, quos prae ceteris respuisse olim appellationes ad Apostolicam sedem quovis pignore certant. Etenim Augustinus literis ad Caelestinum Pontificem datis, postquam ab eo petiit, ut synodicam de Antonio Fussalensi Episcopo, qui Romanam sedem appellaverat, ratam faceret sententiam, isthaec addit (1): *Exsistunt exempla, ipsa sede Apostolica vel judicante, vel aliorum judicata firmante, quosdam pro caussis quibusdam nec episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quae ut a*

(1) *Epist.* 209.

nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo etc. Verba haec etiam supra citavimus, ubi de pontificia jurisdictione in Africam loquebamur. E quibus sane apparet Romanos Pontifices, Afrorum Antistitum caussis ad se per appellationem delatis, vel eas denuo discussisse, vel synodorum judicia confirmasse: nec eas paucas, sed plurimas fuisse, tum quia Augustinus tria exempla recentia memorans, se non requirere ait *a suis temporibus remotissima*; tum praecipue quod non de omnibus judiciis loquitur, sed de iis tantum, quibus Episcopi nec episcopali spoliabantur honore, et aliqua tamen poena coërcebantur. Quod si Augustini locum aliter intelligere placeat, ut scilicet non de appellationum caussis accipiatur, sed de iis, quas in *primo*, ut ajunt, *gradu* judicabant Pontifices, aut quarum sententiae in synodis latae ab iis ratae habebantur, quod quidem vero similius videtur; ex hac pariter interpretatione illud consequitur, frequentissime olim ex Africanis synodis fuisse ad Romanam Ecclesiam provocatum. Nam si tanta potestate in majores Episcoporum caussas Pontifices fruebantur, ut aut eas per se ipsi primo cognoscerent, aut synodorum judicia sua auctoritate roborarent; quis unquam sibi persuadeat,

Africana concilia Episcoporum appellationes vetare, vel iis appellantibus obsistere voluisse? Quod autem eo tempore, de quo est sermo, Afrorum Episcoporum caussas non raro R. Episcopus prima cognitione disceptaverit, id praeter Augustini locum ostendit celebris Leonis epistola ad Afros Antistites, quam in pauca redactam alibi exhibuimus. Inde enim edocemur Pontificem, cum plures in Africa contra sacras regulas, et majorum instituta Episcopos factos rescivisset, cognita Romae caussa, pro culpae varietate variam tulisse sententiam, atque aliis dignitate spoliatis, alios in suo gradu retinuisse (1).

Hoc autem loco praetereunda non videtur audacia, et ακρισια Quesnellii, qui alterum laudatae Leonis epistolae caput, ubi de Lupicini Episcopi ad Apostolicam sedem appellatione agitur, in sua nova operum S. Leonis editione, universa licet Criticorum republica reclamante, repudiare non dubitavit, nulla sane probabili ratione adductus, nisi quod praejudicatae suae opinioni illud summopere adversum videret. Quare omnes eruditiores viros, criticesque pe-

---

(1) *Epist.* 87. *ad Mauritaniae Episcopos.*

ritiores, eos etiam qui pontificiis appellationibus non admodum faverint, illud Leonianae epistolae caput, posthabito Quesnellii judicio, verum ac legitimum habuisse novimus. Ita sane Stephanus Baluzius in *Capitular.* editione de eo mentionem injiciens, nihilque objecta Quesnellii morans, statim sine ulla haesitatione pronunciavit: *nihil video disciplinae tunc in Ecclesia Romana receptae contrarium* (1). Tum Petrus Coustantius, cui prima, et altera Quesnelliana operum S. Leonis editio nota fuit, sinceram et ipse agnovit eamdem epistolae partem, et Auctori suo asserere cogitavit Tomo II. *Epist. R. Pontif.* quem parabat, at morte praereptus perficere non potuit; uti ex ejus schedis colligitur, teste Simeone Mopinotio (2). Nec meliorem criticum se praestitit idem Quesnellius, cum Siricii ad Africanos epistolam, et Zellensem synodum, quas superiori capite laudavimus, inter spuria opera ablegavit (3), adeo inanibus inni-

(1) *Tom.* II. *Capitular. pag.* 1249.

(2) In *Epist. de nova edit. epistol. summorum Pontif.* excusa an. 1724.

(3) *Dissert.* XV. *ad opera S. Leonis.*

xus conjecturis, ut nullum e doctis viris reperire potuerit, qui ejus opinioni suffragaretur; quod praeter alios demonstravit modo citatus eruditus Coustantius (1).

Attamen isthaec illius audacia, et ακρισια in veteribus monumentis rejiciendis longe est tolerabilior prae temeritate, atque impudentia, qua Pontificem sanctissimum Leonem violatae antiquae disciplinae, et injustae dominandi cupiditatis accusare non est veritus in *dissert. apologetica Hilarii Arelatensis* (2). Nam postquam veluti certum, exploratumque statuit prioribus saeculis ignotas in Gallia fuisse ad Apostolicam sedem appellationes, Leonemque primum, dum in Romana synodo Chelidonii appellantis caussam cognoscere voluit, novo jugo Gallicanas Ecclesias subjicere aggressum esse, sic tandem concludit (3): *Qui attento animo, nec occupato consideraverit, quae hactenus disseruimus, facile sibi persuadebit Hilarium*

(1) In *Monito ad epist.* 5. *Siricii Tom.* I. *epist.* R. *Pontif.*

(2) *Dissert.* V. *part.* I. *ad S. Leonis opera.*

(3) *Ibidem. cap.* 16.

majorum suorum pressisse vestigia, cum sententiam in synodo latam a sanctissimis Episcopis tanta constantia, ac fortitudine tutatus est: mirabitur contra quod sanctus Leo consuetudinem, disciplinamque tam continua serie custoditam sit praetergressus, sedis suae amplitudini plus aequo studens. Moxque addit *Pontificem Imperatoris auctoritate munitum novum jus sibi parare* conatum esse. Qua quidem in re ab omnium etiam e Gallica gente Scriptorum, qui ante se de Chelidonii caussa tractarunt, sententia aperte discedit: hi enim uno ore tradunt et Leonem, in eo ad se avocando post appellationem judicio, vetusto Romanae sedis jure legitime usum fuisse, et Hilarium Pontificis sententiae reluctantem humani aliquid passum esse; quemadmodum luculenter ostendunt Ballerinii fratres (1). Sed praeter ea, quae antea in hac disputatione de suprema Pontificum in episcopalibus totius Occidentis judiciis potestate in medium attulimus, nil videtur magis idoneum ad erroris convincendum Orato-

---

(1) In *adnotationibus ad cit. Quesnellii dissertationem Tom.* II. *Operum S. Leonis.*

rianum Hilarii patronum, quam Leonis ipsius toties memorata ad Viennensis provinciae Episcopos epistola, unde discimus ab Apostolica sede *per diversarum appellationem caussarum aut retractata, aut confirmata fuisse judicia* (1). Nam quae ad labefactandam tanti testimonii auctoritatem objicit Quesnellius, nimirum quod Leo *memoria lapsus est*, vel quod *a Chelidonio palpante, et imponente est delusus* (2), vel quod *nemo in propria caussa idoneus est testis* (3); ea quidem neminem, qui communi sensu plane non caret, movere queunt. Quis enim veri simile credet, Virum magni ingenii, eximiae doctrinae, summaeque in rebus gerendis dexteritatis, qui totius Christiani Orbis negotiis per plurimos annos et Romanae Ecclesiae Archidiaconus, et Pontifex non modo interfuit, sed etiam praefuit, ab Episcopo Gallo se illudi, et decipi passum esse; aut memoria lapsum esse in re tanti momenti, quam non solus animo reputavit, sed cum frequenti Italiae concilio diligenter consideravit? vel

(1) *Epist.* 89.
(2) *Cit. dissert. part.* I. *cap.* 16.
(3) *Ibidem cap.* 14.

si memoria lapsus sit, a nemine de suo errore admonitum fuisse, ne a Prospero quidem Aquitano, qui ei a secretis erat, et Ecclesiae Gallicanae consuetudinem utpote Gallus optime nosse debebat? Praeterea si fides Leoni non est adhibenda, quia *nemo in propria caussa idoneus est testis*, ne fide quidem digni sunt existimandi scriptores Graeci, et Latini, cum de rebus ad se, aut ad suam gentem pertinentibus narrant: quare maxima ex parte historiae fides corruat, necesse est. Quis autem ista absurda, quis ista nova opinionum monstra feret? His adde, quod non privatus homo, sed universae Ecclesiae Pastor, non privato nomine, sed Romani concilii nomine ea de Gallicanis judiciis ad Gallos Episcopos scripsit, quae ni vera essent, falsa ab iisdem facile ostendi potuissent; ut omittam quamvis mendacii suspicionem in sanctissimum Pontificem cadere nullo pacto posse. Verum apage tam temerariam, atque inverecundam scribendi rationem (1).

(1) Gravissimum Leonis testimonium pro Gallorum ad R. sedem appellationibus non aliter refutari posse arbitratus est Dupinius *Dissert.* II. *cap.* 2. §. 3. et

Antequam vero huic nostrae tractationi extremam manum imponamus, nullo sunt modo tacita relinquenda duo postrema argumenta, quibus maxime triumphare videntur adversae opinionis propugnatores. Ut enim arguant non fuisse per plures aetates in Africa toleratas ad Pontificem appellationes, notissimam primo contentionem opponunt inter Africanos Episcopos, et Romanos Antistites de Apiarii caussa, qui ad Apostolicam sedem confugerat; deinde canonem laudant 28 codicis Africani, quo Episcopi, et alii inferiores clerici ad *transmarina judicia*, sive ad Romanam sedem, ut ipsi interpretantur, appellare vetantur. Verum nil posse nobis incommodare utrumque argumentum facile quisque advertet, si quae contra disputaturi sumus, attentius considerare velit.

Et primo ut, quae ad Apiarii controversiam pertinent, melius intelligantur, hanc enarrare breviter historiolam non abs re esse existimamus.

---

post eum Cavallarius *Part.* III. *Instit. Iur. Can. cap.* 33. quam si Quesnellium secuti dicerent Pontificem *nonnihil humani passum esse plus justo commotum in Hilarium Arelatensem.* En quo pacto veteres Scriptores interpretantur ii, qui κριτικωτατοι, et omni partium studio immunes haberi volunt.

Presbyter quidam Ecclesiae Siccensis in Africa nomine Apiarius, cum ob varia crimina a suo Episcopo damnatus esset, ad Zosimum Pontificem provocavit, a quo absolutus, et in communionem receptus fuit. Cum vero aegre ferrent Afri tam facile communioni redditum hominem, cujus toti Africanae Ecclesiae nota erant facinora; Zosimus ad eos misit legatos Faustinum Episcopum, Presbyterosque Asellum, et Philippum, qui judicium de Apiario Romae habitum legitimum tuerentur, simulque Ecclesiasticos canones de appellatione ad Romanum Antistitem producerent. Sed quia hi canones, qui ad Sardicensem synodum spectabant, in Ecclesiae Romanae codice post Nicaenos perpetua serie, suppressoque Sardicensis concilii nomine, recensebantur; idcirco per errorem Nicaeno concilio tributi sunt, et veluti Nicaeni a legatis citati. Tum productos a Zosimo canones, tamquam Nicaenos, concilii Africani Patres in suis Nicaenis exemplaribus non invenientes, ad Episcopos Alexandrinum, Antiochenum, et Constantinopolitanum legatos mittendos decreverunt, ut inde impetratis genuinis, et veris Nicaenae synodi codicibus, controversia jam exorta de appellationibus tutius definiri posset. Interea tamen Apiarium, ex Pon-

Digitized by Google

tificis praecepto, communioni restituunt, spondentque insuper se canones prolatos servaturos esse, donec ex Oriente Graeci codices mitterentur. Totum id ex literis synodicis constat, quas Africani Patres ad Bonifacium, qui proxime Zosimo successerat, dederunt (1). Porro eodem anno, quo haec ad Bonifacium scripserunt, vel insequenti legati Alexandria, et Constantinopoli cum genuinis Nicaenis canonibus Carthaginem redierunt; unde per eosdem legatos, qui eos ex Oriente detulerant, statim Romam ad Bonifacium Pontificem transmissi sunt (2). Mortuo paucis post annis Bonifacio, in ejus locum suffectus est Caelestinus; sub quo concertatio de Apiarii caussa acrius instaurata est. Namque is, postquam Faustini Pontificis legati opera, uti diximus, erratorum veniam, et communionem assecutus esset, tot tantaque nova admisit flagitia, ut denuo de his legitime convictus, ac damnatus sit. Tamen, ut erat homo factiosus, et audax, animum non despondit, sed suis dolis, ac astutiis confisus Romam perfugit; ubi adeo callidis artibus Cae-

(1) *Can.* 134. *Eccles. Afric.*
(2) *Can.* 138. *Eccles. Afric.*

lestinum Pontificem decepit, ut reddita ei communione, missus sit iterum in Africam legatus Faustinus Episcopus cum literis, quo Romanum judicium exsecutioni mandaretur. Ut autem in Africam venit Faustinus, generale illius dioecesis concilium ad Apiarii caussam dirimendam Carthagine congregatum fuit: eoque ipse Apiarius ad dicendam caussam vocatus, primo tergiversari, atque objecta crimina occulere, deinde ultro, ac palam sua scelera confiteri; ut et ipse Faustinus, qui illius patronus advenerat, ejusdem damnationi subscribere coactus fuerit. Isthaec omnia aperte nobis produnt synodicae literae Africanorum Patrum ad Caelestinum missae, quibus de rebus in concilio gestis eum certiorem faciunt. Hi tamen extrema epistola, ne appellantium ad se presbyterorum praesertim; aliorumque clericorum querelis faciles praebere aures velit, his verbis Pontificem orant; quae quia ad totius quaestionis intelligentiam valde faciunt, audire non pigeat (1): *Praefato itaque debito salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non*

---

(1) *Can.* 138. *Eccles. Afric.*

facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere: quia hoc etiam Nicaeno concilio definitum facile advertet Venerabilitas tua. Nam si de inferioribus clericis, et laicis videtur ibi praecaveri, quanto magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia communione suspensi, a tua Sanctitate vel festinato, vel praepropere, vel indebite videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque, et sequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat Sanctitas tua: quia et nulla Patrum definitione hoc Ecclesiae derogatum est Africanae; et decreta Nicaena sive inferioris gradus clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim, justissimeque providerunt quaecumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda; nec unicuique provinciae gratiam Sancti Spiritus defuturam, qua veritas a Christi Sacerdotibus et prudenter videatur, et constantissime teneatur; maxime quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad judicia suae provinciae, vel etiam universale provocare. Nisi forte quisquam est, qui credat

unicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, et innumerabilibus congregatis in concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessariae personae vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, multis aliis intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt? Nam ut aliqui tamquam a tuae Sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum synodo constitutum. Quia illud, quod pridem per eumdem Coepiscopum nostrum Faustinum, tamquam ex parte Nicaeni concilii, exinde transmisistis, in conciliis verioribus, quae accepimus Nicaena, a sancto Cyrillo Coepiscopo nostro Alexandrinae Ecclesiae, et a venerabili Attico Constantinopolitano Antistite ex authentico missis, quae etiam ante hoc per Innocentium presbyterum, et Marcellum subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriae Bonifacio Episcopo praedecessori vestro a nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Exsecutores etiam clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum saeculi

in Ecclesiam Christi, quae lucem simplicitatis, et humilitatis diem Deum videre cupientibus praefert, videamur inducere. Nam de fratre nostro Faustino (amoto, jam pro his nefandis nequitiis de Christi Ecclesia dolendo Apiario) securi sumus, quod cum probitate, et moderatione tuae Sanctitatis, salva fraterna caritate, ulterius Africa minime patiatur. Et alia manu : *Dominus noster Sanctitatem vestram orantem pro nobis custodiat, Domine frater.*

Haec est eorum series, quae ab utroque Africano concilio in caussa Apiarii sunt gesta: unde sane nil colligi posse, quod adversariis faveat, facile est non una ratione demonstrare. Nam I. per quatuor priora saecula is videtur constans fuisse Ecclesiae Romanae mos, ut Episcopos, aliosque clericos ex Africa ad se confugientes inauditos repelleret : quare nova plane visa est Afris illa ratio, qua usi Zosimus, ac Caelestinus Apiarium in sua provincia damnatum in communionem statim receperant ; ideoque epistola ad Caelestinum data, eum rogant (1),

(1) *Can.* 138. *Eccles. Afric.*

ut appellantium *improba refugia repellat, quia nulla Patrum definitione hoc Ecclesiae derogatum est Africanae*, ut scilicet in Africa damnati communioni Romae reddantur. Nec vero mirum Afros sic esse locutos: canones enim Sardicenses penitus ignorabant, et eos quos Zosimus ad tuendas appellationes ceu Nicaenos protulerat, in exemplaribus Nicaeni concilii ex Alexandrina, et Constantinopolitana urbe transvectis minime repererant. II. Nulla erat de appellationum jure Afris quaestio, quod supremae Romanae sedis dignitati denegari non posse bene norant, sed tantum de modo appellantes excipiendi. Non enim ajunt Romanum Pontificem nulla jurisdictione, nulla potestate in Afrorum controversias praeditum esse, nec proinde posse illas ad se avocare: ast illud in eadem epistola observant, judicium *transmarinum*, seu Romanum haud legitime, ac recte posse exerceri, cum vix, ac ne vix quidem res, atque facta, absentibus necessariis testibus, probari queant. *Quomodo*, inquiunt, *ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessariae personae vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, multis aliis intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt?*

Quibus quidem verbis declarant, se idcirco non habere ratum, ac legitimum transmarinum judicium, quod necessarii testes desint, non vero quod jurisdictione careat Pontifex. Eademque de caussa a Caelestino petentes, ne ex Africa venientes facilius admittere velit, subdunt: *ne in sua provincia communione suspensi a tua Sanctitate vel festinato, vel praepropere, vel indebite videantur communioni restitui.* Ergo non obscure indicant Romanum Episcopum posse appellantes a sententia synodali absolvere, modo non *festinato, et praepropere*, sed mature, ac servato legitimo judicii ordine eorum caussas discutere fas sit. III. Moleste sane tulerunt Africani Praesules Zosimum inter alia suis legatis mandasse, ut in concilio de Episcoporum, et aliorum appellationibus ad R. Ecclesiae Sacerdotem ageretur: verebantur enim, ne novo hoc edito statuto, improbi, ac scelesti homines ad nova, atque atrociora admittenda facinora Apostolicae sedis patrocinio abuterentur, cum haud difficile eis esset crimina Romae occulere, et absolvi; quemadmodum reipsa Apiario bis successit. At iidem tamen facile patiebantur Episcopos, praesertim iniquis Metropolitanorum, synodorumque sententiis offensos, ad Pontificem

provocare, ut ita injuste damnatis tutum perfugium pateret. Quod profecto vel ex uno Antonii Fussalensis Episcopi facto abunde ostenditur: etenim hic paucis ante annis, quam Apiarius a Caelestino absolveretur, ad Caelestini decessorem Bonifacium a Numidiae synodo appellavit; imo, quod majus est, ut scribit ad Caelestinum Augustinus, ab ipso Numidiae Primate, qui fortasse synodicam sententiam improbaverat, Pontifici fuit commendatus (1). Fallitur autem quisquis dicat hoc eo temporis spatio contigisse, quo Afri Episcopi, literis ad Bonifacium datis, promiserunt se Zosimi mandatum servaturos, donec ex Oriente cum Graecis Nicaeni concilii exemplaribus legati redirent. Nam constat legatos Alexandriam, et Constantinopolim anno 419. profectos, atque inde in Africam cum Nicaenis codicibus eodem anno, aut ad summum anno insequenti reversos esse: Antonium vero Fussalensem ad Romanam sedem provocasse triennio, aut quadriennio post, idest anno 423, quo obiit Bonifacius, eique substitutus est Caelestinus, ex eodem discimus Augustino (2). Tum eadem,

(1) *Epist.* 209.
(2) *Ibidem.*

quam citavimus, epistola Augustinus aperte significat, confirmata fuisse ab Apostolica sede plura judicia in Africa de Episcopis acta; quorum certe aliquos ad Pontificem appellasse minime ambigendum videtur. Praeterco vero quod Africanae Ecclesiae cum reliquis Occidentis iis omnibus subscripserunt, quae Romae a Julio, et Innocentio sunt gesta, cum Athanasii, et Chrysostomi patrocinium susceperunt, qui inique ab Orientis synodis Episcopatu fuerant dejecti: quare prohibere haud poterant, ne sui Episcopi contra fas damnati Pontificis opem implorarent.

Reliquum tandem est, ut argumento ex Africano canone 28 petito occurramus. Is profecto sic se habet: *Placuit, ut presbyteri, diaconi, vel ceteri inferiores clerici in caussis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, et inter eos definiant adhibiti ab eis Episcopi: quod si et ab eis provocandum putaverint, non provocent ad transmarina judicia, sed ad Primates suarum provinciarum, aut ad universale concilium, sicut et de Episcopis saepe constitutum est. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam ad com-*

munionem suscipiatur. Eadem ferme in canone 125 leguntur, praeter ea verba *sicut de Episcopis saepe constitutum est*, quae in hoc altero desunt: unde videtur adversariis negari non posse, appellationes ad Romanam sedem interdictas in Africa omnino fuisse. Et re sane vera omnes, quantum scire adhuc licuit, recentiores scriptores tam qui pro appellationibus ad Pontificem decertant, quam qui eas oppugnant, in hoc plane conveniunt, ut *transmarina judicia* Africani codicis pro Romanis accipiant. Quare eam exceptionem, quam canoni 125 addidit Gratianus, *nisi forte Romanam sedem appellaverit* (1), risu esse dignam asserere non dubitavit Cavallarius, *quasi*, inquiens, *Afri ad transmarina appellantes aliam, quam Romanam sedem appellarent* (2). Hanc autem communem interpretationem secuti pontificiae auctoritatis defensores, etsi varia ingeniose, ac subtiliter ad explicanda Africana decreta excogitarunt, nihil tamen afferre adhuc valuerunt, quod omnibus prorsus satisfaceret. At statuere omnino oportet alio plane sensu, ac vulgo fit,

(1) *Can.* 35. c. 2. q. 6.

(2) *Citat. cap.* 33. *Part.* III. *Instit. Iur. Canon.*

objectum canonem esse interpretandum, ut nempe ad *transmarina* appellare non sit ad Pontificem, sed ad Imperatorem, sive ut aliter dicebatur, *ad Comitatum* provocare. Quod ut planius fiat, altius est res repetenda. Jam inde ab synodi Sardicensis aetate Episcopi praesertim Afri ad Imperatoriam aulam se conferre solebant vel ad divitias, et honores adipiscendos, vel ad alia gerenda negotia: quapropter illius synodi Patres, instante Grato Carthaginiensi Metropolita, hujusmodi occurrere malo per plures canones studuerunt (1). Sed quia Sardicense statutum aut nunquam in Africa fuit receptum, aut si receptum, paullo post exolevit, Innocentius Pontifex initio quinti saeculi decrevit severiori sanctione cohibendos esse Episcopos, qui nulla necessitate adducti ad Principis aulam proficiscerentur; quod quidem Innocentii decretum ab Africae synodo fuit confirmatum, ut legitur in codice Ecclesiae Africanae: *Recitatae sunt literae Papae Innocentii, ut Episcopi ad transmarina pergere facile non debeant; quod hoc ipsum*

(1) *Can.* 8. 9. 10., 11. et 12. ex interpret. Dionysii Exigui.

Episcoporum sententia confirmatur (1). Ubi vides idem esse *ad transmarina pergere*, atque *ad Comitatum pergere;* quo pacto Afri Episcopi alibi loquuntur (2): *Si Episcopus*, inquiunt, *accipiens formatam ad Romam, et tacens necessitatem, qua ad Comitatum illi pergendum, voluerit statim ad Comitatum pergere, a communione removeatur.* Ex quo canone etiam discimus post Innocentianum decretum eam poenam in delinquentes esse statutam, ut a communione secernerentur. Deinde quia difficulter tolli poterat inveteratum malum, post Innocentium Zosimus Pontifex anno 418. inter alia, quae Afris servanda mandavit, cavit *ne ad Comitatum Episcopi importune navigarent;* quemadmodum ex ipso Africano codice habemus (3). Hinc et alio canone generatim fuit sancitum: *ut quicumque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur* (4). Itaque cum canone 28. legimus *ad*

(1) *Can.* 94. *Eccles. Afric. Tom.* II. *Concil.*
(2) *Can.* 106. *ibidem.*
(3) *Can.* 134. *ibidem*
(4) *Can.* 104. *ibidem.*

transmarina appellantes a communione semovendos, nulla adest ratio, quamobrem ad Pontificis judicium potius, quam ad Comitatum confugientes ibi designatos credamus.

At enim in epistola Africani concilii ad Caelestinum dubio procul *judicium transmarinum* pro Pontificis judicio sumi debet (1): cum igitur vocabulum hocce *transmarinum* ambiguae sit notionis, unde nosse datur idem in objecto canone non esse de Romana sede intelligendum? Nimirum plura id suadent, quae breviter nunc exponere necesse est. Primo enim vix credi potest Afros Episcopos, quos tantum honorem, tantamque reverentiam Apostolicae sedi exhibuisse supra vidimus, ita illius auctoritatem, majestatemque contemsisse, ut ejus opem implorantes communione indignos haberent; praesertim cum Pontifices si minus ut Patriarchas, at certe ut supremos Ecclesiae Pastores revereri debuissent. Longeque minus credi potest, Pontificis legatos, qui Carthaginiensi generali concilio anni 419. interfuerunt, et relato canoni una cum aliis Africanae Ecclesiae subscripserunt (2), isthoc decretum Petri cathedrae tam probrosum calculo

(1) *Can. Eccles. Afric.* 138. *ibidem.*
(2) *Can.* 133. *ibidem.*

suo confirmare voluisse; praesertim cum in eo concilio et ipsi appellationes ad Pontificem strenue tutati sint, et PP. Africani se usque ad legatorum reditum easdem admissuros spoponderint. Praeterea plures Episcopos, aliosque inferiores clericos Africanae dioecesis ad Romanum judicium provocasse, eorumque querelas benigne audiisse Pontifices antehac narravimus: sed neque illi appellare ausi fuissent, neque hi appellationem excepissent, si gravissima poena, qualis erat communionis privatio, appellantes maneret. Deinde in eodem canone, postquam presbyteris, aliisque clericis ad transmarina judicia appellare interdictum fuit, addita sunt haec verba: *sicut et de Episcopis saepe constitutum est;* at ne semel quidem in toto codice Africano inveniuntur vetita ad Romanam Ecclesiam Episcoporum perfugia. Quin imo Augustini aetate, eo scilicet tempore, quo in unum corpus Africani canones fuerunt redacti, persuasum habebant vulgo homines fas esse Afris Episcopis, qui injuste a suis damnati erant, ad Pontificem provocare. Namque is quadam sat longa epistola, qua de Donatistarum impudentia, atque in schismate obstinatione agit, de Caeciliano Carthaginiensi Episcopo ab illis damnato loquens (1):

(1) *Epist.* 43. edit. Maur.

Neque enim, ait, *de presbyteris, aut diaconis, aut inferioris ordinis clericis, sed de collegis agebatur, qui possent aliorum collegarum judicio, praesertim Apostolicarum Ecclesiarum caussam suam integram reservare.* En heic apertissime tradit Africanus Doctor Carthaginiensem Episcopum ad Romanam Ecclesiam (hanc enim *Apostolicarum Ecclesiarum* nomine intelligi ex epistolae contextu manifestum est) appellare potuisse. Denique, quod caput est, Fulgentius Ferrandus Carthaginiensis Diaconus, qui sub Iustiniano in Africanae Ecclesiae usum *Breviationem canonum* confecit, aliorum conciliorum canonibus etiam Sardicenses de appellatione ad Romanum Episcopum adjunxit (1). Non ergo vetabant ad Pontificem provocare Africani canones: si enim secus foret, minime Afri eodem tempore pugnantibus inter se decretis uti potuissent. Quocirca Petrus de Marca, licet pontificiis appellationibus admodum infensus, unius tamen Ferrandi auctoritate adductus est, ut Sardicenses de appellatione canones admissos esse in Africa saeculo sexto statueret (2).

(1) Num. 59, et 60.

(2) *Lib.* VII. *de Concord. cap.* 15.

Haec, quae hactenus de *transmarinis judiciis* commentati sumus, probatum iri omnibus confidimus: sed ne quis adhuc scrupulus in animo cujusquam supersit, ad eum evellendum decretorium prorsus argumentum postremo loco afferre lubet ex canone 104 codicis Africani, quem paullo ante dimidia ex parte tantum citavimus, quique integer hujusmodi est: *Placuit, ut quicumque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur; si autem judicium Episcopale ab Imperatore postularit, nihil ei obsit.* Heic *judicium Episcopale* opponitur *publicis judiciis*, idest Magistratuum: iique dumtaxat clerici suo honore privantur, qui ad Comitatum, sive ad Principem se conferant, ut publica judicia impetrent, non item qui ab eo judicium Episcopale extra Africam petant. Igitur si nulli poenae obnoxii erant, qui non contenti judiciis synodalibus, quae Africani canones cuilibet concedebant, ad Imperatorem navigabant, ut aliud Episcopale judicium assequerentur; quonam pacto nobis persuaderi poterit, *transmarina*, ad quae provocare Afris tam severe interdicebatur, Romanae sedis judicia esse intelligenda? Nonne vel ex hoc uno canone satis explicate eruitur, *transmarina*

judicia eadem esse, ac *publica*, quae omnibus clericis pluries prohibita fuisse ex Africanis conciliis est compertissimum? Quod si ita res est, haud *risum movet*, ut ait Cavallarius, nota illa exceptio, quam canoni Africano adpinxit Gratianus; imo ea est verissima, et tum ex Fulgentii Ferrandi collectione, tum praecipue ex canone 104 modo citato omnino sponte fluere videtur.

Atque haec de antiquis Patriarchatus Romani terminis satis sunto. Interim ex hac nostra disquisitione aperte colligere quisque potest, quam multa in pontificiis juribus exponendis peccarint ii praesertim Galli Scriptores, quorum opiniones hactenus refellimus; ideoque quantopere decipiantur, qui illos sectari duces contenti, monumenta vetera, unde tantummodo hauriri potest veritas, consulere negligunt. Nam etsi memorati Scriptores se e priscis Auctoribus, quos procul dubio evolverunt, omnia quae docent, mutuatos esse gloriantur; fateri tamen necesse est istam veterum librorum lectionem haud multum ipsis ad verum detegendum profuisse, quippe cum animo occupato, nec affectibus vacuo, quemadmodum opus erat, eos adierint. Quam rem profecto, si alia desint argumenta, sat ostendunt

eorumdem opera, quae impotens Romanae sedis jurisdictionem coercendi studium ubique praeseferunt.

Finis.

INDEX

CAPITUM, ET ARTICULORUM

HUJUS DISSERTATIONIS.

CAPUT I.

ARTICULUS 3.

ARTICULUS 4.

CAPUT II.

ARTICULUS 1.

CAPUT III.

627900

ERRORI.		CORREZIONI.
Pag. 2	v. 22 uit reprehensus	fuit reprehensus
84	v. 1 negotio	aliquo negotio
92	v. 2 Romanus Episcopos	Romanus Episcopus
148	v. 17 non fit Donatisa	non sit Donatista
ibid.	v. 26 *relutio*	*relatio*
181	v. 21 nonnibil	nonnihil

Conciliorum collectio Labbeana, quae saepe in hoc libello citatur, non est Parisiensis, sed Venetae editionis.

Digitized by Google

Digitized by Google